



Digitized by Google


OTECA NAZ
rlo Emanuele
A
NAPOLI

NAZ.
e III
I

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
A
35
NAPOLI



Inter libros
Josephi Mariæ Paruscandolo
Antecessoris Regii
A. L. N.

Digitized by Google

Digitized by Google

Imperatoris IVSTINIANI DEFENSIO ADVERSVS *Alemannum.*

Autore THOMA RIVIO *I.C.*
Regis in ANGLIA
[redacted] *Aduocato.* [redacted]

Ait Prætor: *ne quid infamandi cauſæ fiat: ſi quis fecerit, animaduertam:* ff. de Injur. & famo. libell.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. EMANUELE III

LONDINI,
Excudebat G. STANSBEIVS,
1626.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO IN CHRISTO Patri, Clementiſsimo Domino, GEORGIO Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, Totius *Angliæ* Primati & Metropolitano.

REuerendiſsime in Chriſto Pater, Clementiſſime, mihiq́; plurimum colende, & ſemper obſeruande Domine, Præclarè, vt omnia, apud Platonem Socrates, illud nos monet, vt diligentèr caueamus, quoties virum aliquem vel laudaturi, vel vituperaturi ſimus, ne ab-

erremus; Hoc igitur prudentiſſimi viri conſilium, ego cum hanc Iuſtiniani Imperatoris defenſionem aduerſus Alemannum adornarem, diligentèr animo verſabam. Occurrebat, quamuis ſummus vir eſſet Iuſtinianus, nihil tamen humano corde eſſe obſcurius: viri boni officium, anguſtis finibus contineri: difficile eſſe, in priuatæ vitæ ratione fines illos non tranſgredi? quanto magis in regno? id verò cum mei ipſius cauſa ſedulò faciebam, tum multò magis, ne rem Paternitatis veſtræ patrocinio indignam aliquando tentaſſe exiſtimarer.

rer. Iuſtinianum igitur per omnes vitæ partes diligentiſſimè quæſiui: quid pace, quid bello, quid in Republica, quid in Eccleſia, quid in foro, quid in menſa, quid in ipſo cubiculo, deniq; ſiue otium, ſiue negotium, ageret, omnia attentiſſima animi cura perluſtraui. Video autem eum non ſolum Imperij, verum etiam probitatis laudibus inſignem, nec Regijs magis quam priuatis & domeſticis virtutibus conſpicuam, vitam tranſegiſſe. Multa autem ſunt, ob quæ, hæc noſtra Iuſtiniani defenſio, ſub tuo, Clementiſſime Domine, patrocinio prodire

 cu-

cupiat: primùm, quòd te ſtudiorum meorum benigniſſimum ſemper fautorem reperi: Deinde, vt quemadmodum conuitiator ille, Ludouiſium, Romanæ ſedis Cardinalem, habet, ita Iuſtiniani Defenſor, Paternitatem veſtram, ſummę in hac noſtra, & Eccleſia & Republica autoritatis virum, patronum habeat. Deniq; quod res ipſa Hiſtoriam tangit. Quis enim in illo genere te peritior? quis verſatior? quis ad illa ſtudia, natura comparatior? quanta enim in te memoria? quanta animi vis; mentiſque comprehenſio? ipſi deniq; tui, in

judi-

judicijs, in conſilijs, in congreſſibus ſermones, quid aliud ſunt, quam rerum, ex omni vetuſtate repetitarum frequens & apta commemoratio? Itaq; ſi tuum judicium ſuſtinuerit, aliorum ſententiam non erit, cur poſtea magnopere reformidet. Deitas Paternitatem veſtram, ad Eccleſiæ decus, tutelam & commodum, diutiſſimè incolumem conſeruet.

Clementiſſimæ dominationis veſtræ, ſemper obſeruantiſſimus ſeruus,

THO. RIVIVS.

Argumentum.

ERat olim Iuſtinianus Romanorum Imperator, vir inter paucos memorabilis. Is inter alios, quendam, nomine Procopium, profeßione Rhetorem, per omnes Ciuilium honorum gradus ad vrbis deniq; Præfecturam euexerat; quorum iſte beneficiorum memor, famoſum libellum clanculùm compoſuit: in quo ſanctißimum Imperatorem, munificentißimum Dominum & Patronum ſuum, infandis conuitijs & maledictis onerat. Hunc autem libellum, vix auditu prius cognitum, ante paucos annos reperit,

Bib-

Bibliothecæ Romanæ adminiſter, Ni. Alemannus : repertũ ex Græco Latinum fecit; Græcè ſimul & Latinè compoſitum, typis tradere feſtinauit : Id moræ fuit, quod liber ipſe conuitiorum, contumeliarum, & ſordium parùm, aduerſus Iuſtinianum continere videbatur. Itaq. noua quædam probra, de ſuo adiecit, & conuitia conuitijs cumulando, multos Procopios in vno Alemanno ineſſe demonſtrauit : Cauſam ſi requiris, illam reddit, quod Iuſtinianus Theologiæ ſtudijs nimis ſedulò vacabat, & Dei gloriam, ſuprà quam ſæcularem Principem decebat, legibus ferendis procurabat. Quoniam vero iſtud Alemanni

inſti-

inſtitutum, non ad huius Imperatoris infamiam magis quàm ad omnium Regum & Principum iniuriam pertinere videbatur, ideo Thomas Riuius, Regis in Anglia Aduocatus, has Iuſtiniani, aduerſus Alemannum, vindicias inſtituit: Lectorem precatus, vt tam pium & neceſſarium ſcribentis ſtudium, æqui boniq; conſulat.

Errata.

P*Ag.17.quod; le.contra p.19.Iuſtinino l. Juſtiniano p.22.Peſſanos, l.Praſinos.p.47.quum, l.quàm: p.52. non inquis? l.non, inquis. ib.curſus, l.rurſus, p.63.Deinde, qui Gentiles: l. Deinde qui? Gentiles & p. 66. properiore, l.proſperiore. p.69.pernicacia l.pervicacia, p.70. Flatonem, l.Platonem, p.8. ille, l.illæ, p.106.Rem.l.Rempub.p.107.inquis, l.inquit. ib.voluntari, l.volutari, p.114.ſe, dele; p.134.vt.l. & p.142.incredibiliorem, l.credibiliorem.*

IMP. IVSTINIANI DEFENSIO, ADVERSVS ALEMANNVM.

DVo erant, poſt Auguſtum Cæſarem, clariſsima Romani Imperij lumina, Conſtantinus & Iuſtinianus: alter belli, alter pacis, vterque pietatis, & chriſtianæ religionis ſtudijs poſteritati commendatus: Itaque, vt par in vtroque virtus enituit, ita ſimilis vtrumque fortuna eſt cõnſequuta: vix dum enim defunctos, illum Zozimus, hunc Procopius autores, ſi ingeniũ, ſi doctrinã, ſi reliquã dignitatẽ ſpectas, non contẽnendi, omni conuitiorum cæno obruerunt, eoſq; pro ſe quiſque, vecordiæ, libidinis, auaritiæ, ſanguinis, euerſi denique Romani imperij, reos, libellis editis, peregerunt: adeò quidem, vt ſi quis Chriſtianus, hos, cum fide legendos eſſe putet, pudeat eum illos, Religionis ſuæ, non dicam patronos, ſed ſocios aliquando habuiſſe. Quod non ideo a me dictum exiſtimari velim, quaſi

noui quidpiam aut miri hac in re accidiſſe putem: quid enim in ſe mirandum habet, ſi homines a chriſtianæ religionis ſtudio alieni, idolorum hoſtes & ſubuerſores, odio, ira, inuidia proſequantur? Illud vero mihi non mirum, ſed portenti ſimile videtur, cum nemo vnquam Chriſtianus repertus ſit, qui Conſtantini famā lædere ſuſtinuit, poſt vndecim iam ſæculorum curſum, inuentum eſſe quempiam, qui ex Iuſtiniani infamia creſcendi ſpem arripere non dubitaret; idque in ea potiſsimum vrbe eſſe factum, quæ, aut nulla planè iamdudum fuiſſet, aut Arrianorum ſceleri ſubiugata, niſi huius, huius, inquam, Iuſtiniani virtute, fide, opibus, vigilijs, & fælicitate, Gothorū manibus erepta, Chriſtianæ religionis Dominis fuiſſet reſtituta. Etenim non ita pridem accidit, vt quidam, nomine Ni. Alemannus, dum, pro officij ſui ratione, depulueriſandis bibliothecæ Vaticanæ libris operam nauaret, in veterem quendam codicem incideret; quem, cum fanda, infanda, aduerſus Iuſtiniani clariſsimi imperatoris, famam continere

com-

comperiſſet, cæpit eum ſtatim adamare vt ſuum; veſtiuit, ornauit, ex hirſuto & ſqualido, comptum nitidum, & planè formoſum reddidit; denique tanquam puerum Idæum, Cardinali Ludouiſio, commendauit: nec contentus libellum æternis tenebris damnandum, in lucem protuliſſe, eundem nouis inſuper & abominandis infamiæ notis cumulauit.

Nec tamen ego ille, qui nulla cauſa, nulla Iuſtiniani culpa, hoc contigiſſe putẽ; Quiquid id eſt, aliquid certè oportet, vel officij olim prætermiſerit, vel piaculi admiſerit, cuius ea fuit atrocitas & magnitudo, vt veterũ eius in Romanam & vrbem, & Eccleſiam meritorum omnium, non ſolum gloriam, verum etiam gratiam obliteraret. Non enim, vt opinor, Alemannus, Romanæ eccleſiæ, quod de ſe profitetur, filius, nullis iniurijs laceſsitus, hanc tam probroſam calumniandi prouinciam ſponte ſua ſuſcepiſſet; non ſe tam infami actioni ſubſcriptorem vltroneum præbuiſſet; non legum parentem, religionis aſylũ, Romani nominis & Imperij vindi-

 cem

cem, non denique virum, tot iam ſæculis, pietatis, prudentiæ, iuſtitiæ laudibus inſignem, vel ipſe, feræ in morem, mortuum laceraſſet, vel alij, ad eius infamiam incumbenti, operam præſtitiſſet. Itaque te, eruditiſsime Alemanne, vehemẽter hoc loco rogandum cenſeo, vt huius tui tã acerbi in Iuſtinianum odij, & fœderis cum Procopio aduerſus eum ſociati, cauſam edere ne graueris: Quod, cum a te vehementer contendo, tum eo animo facio, vt ſi iuſtam, ſi legitimam, ſi probabilem huius tui inſtituti rationem expoſueris, arcum porrigam, nec contra te quicquam in hac cauſa, vltra mouendum eſſe ſtatuam: faciam vero, inquit, « quod rogas: Nam Iuſtiniani Imperatoris, qui libri Procopiani Anecdotῶn « eſt argumentum, in ſacerdotalem « ordinem, in ſummos ſacrorum Antiſtites, in rem eccleſiæ publicam, in « hunc fermè diem, mirati ſumus effuſam licentiam! Nouam quidem rem, & planè incredibilem narras, Alemanne: ſed tibi ſoli hæc ita videri dicis, an & alijs? & alijs inquit; nam Cardinalis

" dinalis Baronius, cum huius Impera-
" toris res in Annales referret, vehe-
" menter etiam atque etiam hunc Pro-
" copij librum expetiuit: quod inde
" compertum fore putaret, Iuſtiniani
" mores, qui fuerant, quod inge-
" nium, quæ prudentia, quæ denique
" pietas, cum non bonam de illo opi-
" nionem mouere videretur, illa eius
" in eccleſiaſticos licentia, quam in
" pium, probumque principem cade-
" re minimè poſſe, & ſummus ille vir
" affirmabat & boni omnes intelli-
" gunt! Enim verò, ô Alemanne,
cum factum illud tuum antea non probarem, tum hanc quam reddis conſilij tui rationem, longè auerſandam eſſe puto. Ideo, inquis, hanc Procopij hiſtoriam, in hominum notitiam perferri volui, ne Iuſtinianus Imperator, vir bonus aliquando fuiſſe videretur. At erat pius & probus Princeps: non poteſt, inquis, pius & probus exiſtimari, qui ſacerdotum flagitia ſuppliciorum acerbitate caſtigauit; at fecit, poteſtate fretus: non eſt poteſtas hæc, ſed effuſa licentia appellanda; verùm ante te, ne-

 mo

mo dixit; imo, ante me idem iudicauit Baronius Cardinalis: hæc autem omnia, quò ſpectent, quid velint, quam vim habeant, quis non videt? Aut quis hoc non intelligit, illud hac Alemanni actione quæri, vt ne Reges & Principes in ſacerdotum flagitijs coercendis, Iuſtiniani autoritate amplius ſe defendere & tueri audeant: Qualis enim fuerat Iuſtiniani vita, qui mores, quod ingenium, ex arcana Procopij hiſtoria nunc apparere: proinde aut illius exemplum amplecti deſinant, aut ſibi cum eo, turpiſsimarum criminationum infamiam ſubeundam eſſe non ignorent. Itaque me rem & Principibus Chriſtianis non ingratam, & bonis omnibus iucundam facturum ſpero, ſi præclariſſimi Imperatoris nomen ab horum vtriuſque conuitijs vindicauero; Nec iſtud agens, vereor, ne quis Alemannum, ſuam illam operam, Iuriſconſultis, præſertim illis, qui arcana literarum monumenta non pertractarint, offenſuram eſſe prædixiſſe cauilletur. Ego enim, cum me ex eo numero eſſe profiteor, tum hoc a Chriſtiano homine,

Pag. 2.

in

in Chriſtianiſsimi imperatoris famam, cum communis religionis dedecore conſilium initum eſſe, non moleſtè ſolum me, ſed etiam peracerbè ferre non diſsimulo: quamuis autem non illud mihi arrogem, vt me arcana literarum monumenta pertractaſſe dicam, tamen non tantum mihi derogo, vt me in antiquitatis ſtudijs aliquando verſatũ fuiſſe negem: Nam ſi in illo genere ſatis profeciſſem, facile ego non ſolum huius Imperatoris famam, defenſurum me eſſe pollicerer, verum etiam Alemannũ ipſum, quãuis multas hiſtorias legerit, earum tamen vim ſenſumque & rationem omnium mortalium minimè tenere demonſtrarem. Nunc autem quid noſtra penuria, cum cauſæ bonitate coniuncta, aduerſus Vaticanam opulentiam poſſit, ſanctiſsimæ Trinitatis confiſi ſubſidio, breuiter experiemur.

Verum quæres tu fortaſſe, hoc in loco, Alemanne, quid in te reprehendam? cur tibi potius quam Procopio litem intendam? an denique eos omnes, qui veterum libros in lucem nunc edant, ſi quod

ætas illa miſerimè affligebatur, tantam mortalibus ſtragem dediſse aſſerat. Quid igitur rei erat? an Conſtantinopolim incendit? an plebem in foro, colonos in agris, ſenatum in curia immiſſo milite, trucidauit? nihil horum; inquies: vbi eſt igitur illa humano generi tam perniciosa ſæuities? nam, vt non horum aliquod, ſed ſimul omnia feciſse argueretur, longè tamen ab illius accuſationis fæditate abeſse potuit: Quæro igitur, an totis triginta & nouem, quibus imperauit, annis, vllum ſæuioris ingenij argumentum dederit? Quid ni? inquis; ſed imprimis duas illas
" Amantij & Vitaliani cædes, Vix enim Pag. 30.
" decimus dies abierat ex quo cum po-
" teſtate fuit, & Amantium, Eunucho-
" rum aulæ principem, nonnullis cum
" alijs, interfecit, in crimen illum ea
" tantùm reducens, quod neſcio quam
" vocem petulantiùs in Ioannē iactaſ-
" ſet vrbis Antiſtitem: Ego vero Alemanne, non is ſum qui omnem ingenij humani temeritatem ſanguine luendam eſſe cenſeam: ſed nec tu, vt opinor, is es, qui omnem

ſpadonis aduerſus eccleſiæ Præſulem & Patriarcham procacitatem ſemper diſsimulandam eſſe putas. Quæ autem qualiſuè ea fuerat contumelia, & Procopius ſe neſcire confitetur; & ego me ſcire non profiteor: ſed tamen, quæ per Domini iugulum reditura fuit, leuem non fuiſſe credere par eſt. Itaque ſi huic Iuſtiniani facto, zeli, præferuidi forſan eius, & minus conſiderati, ſed tamen in ſuo genere non improbandi velum prætexerem, quis tam improbus vt diriperet? Impiè enim fecit: eſto: ſed eccleſiæ ſtudio, & opinione quadam pietatis: contumeliam Epiſcopi vltus eſt: Eminuerò vt ſuam; quid? an ſanguine? non oportuit: ſed tamen inde factum eſt, ne quis poſtea, Sacerdotum innocentiam, iniuriæ oportunam eſſe duceret. Verum alia planè res erat: alius rei geſtæ ordo: alia negotij confecti ratio. Quæcunque demum erat Amantij cauſa, non ille a Iuſtiniano, ſed a Iuſtino Imperatore occiſus eſt: autores ſi requiris, laudo tibi Zonaram, laudo Euagrium, laudo denique Iornandem, qui non ſolum rem ipſam narrant, ve-

rum

rum etiam rei geſtæ modum, cauſam, rationem, ita certis argumentis referunt, vt nullus huic commento Procopiano locus, nulla tibi defenſionis facultas relinquatur. Veruntamen nolo ego teſtimonijs vincere, niſi etiam Ioannem, in cuius vindictam, tam dira cædes commiſſa dicitur, illo tempore vrbis Antiſtitem non fuiſſe demonſtrauero. Erat quidam nomine Ioannes, cognomento Cappadox, qui ſub fine Imperij Anaſtaſij ſedem illam conſcendit: is eam biennium non vltra tenuit, vt teſtatur Zonaras: vnde eum primo ſtatim Iuſtini, qui Anaſtaſio ſucceſsit anno, vel ſaltem ſecundo in fata conceſsiſſe liquet. Ioanni vero defuncto ſucceſsit Epiphanius, qui ſacerdotio illo a ſecundo Iuſtini ad decimum vſque Iuſtiniani annum functus eſſe dicitur, ei deinde Anthimus, Anthimo Mennas, Mennæ Entychius, & Entychio demum Ioannes alter, cognomēto Scholaſticus, altero ante Iuſtinianum defunctum anno, ſucceſſerunt. Vbi eſt igitur Ioannes ille vrbis Conſtantinop. Antiſtes, quem decimo imperij Iuſtiniani die,

cædi

cædi Amantianæ cauſam dediſſe vociferatur Procopius ? Nam ſi Cappadocem vult, ſeptem ille vel octo annos ante mortuus eſt, quam Iuſtinianus imperare cæpit : ſi Scholaſticum, octo ille & tringinta annos, poſt cædis admiſſæ diem, vrbis Antiſtes factus eſt ; Imo,
Pag.3. inquis, Ioannẽ ego cognomento Cappadocẽ Scholaſticũ intelligo : præclarè ô Alemanne: ſed tamen Iuriſconſulti, homines ſcilicet in arcanis hiſtoriarum pertractandis minimè curioſi, hanc tam egregiam Vaticani hominis peritiam rident : Dum tu ſic Epiſcopos tempore diuerſiſsimos hominibus coniungis, & qui bini erant, vnum fuiſſe arbitraris. At inquis, ſi Ioannes illo tempore Epiſcopus non fuiſſet, nunquam eum
Deinde Pag.3. Iuſtinianus in ſuis Conſtitutionibus œcumenicum ſalutaſset ; Quinimò, ô Alemanne, nec ſalutabat vnquam: ſiue enim legem ſeptimam de ſumma Trinitate, ſiue trigeſimam quartam de Epiſcopali Audientia, in Codice intelligis, non illæ, ad Ioannem pertinent, ſed ad Epiphanium, quem Ioanni, primo ferè Iuſtini ſenioris anno, ſucceſſiſse,

pria fuit, tua vt ſit, malè rem agendo effeciſti. Huc accedit, quod Procopium præſentem non habemus; cum igitur tibi eadem dè Iuſtiniano videntur, quæ Procopio, tu pro eo ſimul & pro te reſpondeas velim; hoc enim & Socrati olim apud Platonem in cauſa non diſſimili placuiſſe video.

Sed antequam ad hæc deſcendam, pauca a te ſciſcitari volo; & primum illud, qua tu licentia fretus, Procopij Anecdota, arcanam hiſtoriam interpreteris? nec ego tuam in voculis interpretandis peritiam in dubium reuoco: video enim te græcis iuxta & latinis literis eſſe eruditiſsimum; ſed cum nec Procopius ipſe, nec veterum quiſquam huic tam infami libello, Hiſtoriæ titulum incripſerit, cur tu primus illum hoc nomine honeſtandum eſſe cenſuiſti? aut quid habet illa conuitiorum ſatyra, quod prudens quiſquam, hiſtoriæ ſimile eſſe dicat? ſed fuerit ſanè hiſtoria: cur eam arcanam nominaſti? etenim, Arcana imperij, arcana myſteriorum, arcanos etiam animi ſenſus, me legiſſe memini: ſurta vero, homicidia, ſcelera, occulta multi

multi, arcana, nemo vnquam appella-
" uit, imo, inquis, ſic modo velim
Pag. 1. " accipias Anecdota, ſiue Anecdotos
" hiſtoria, quam, ſcilicet, in abditiſ-
" ſimo loco Procopius recondidit. Vtinam vero, Alemanne, cum auctoritate non poſsis, ſaltem ratione te defendiſſes. Hæc autem quam abſurda? ſic modò velim, inquis, accipias? at inquam non accipiam: non ego Anecdota omnia, hiſtoriam; nedum hiſtoriam omnem, quæ lucem fugiat, arcanā interpretabor: Non enim hoc dicendi ratio, non cōmunis loquendi vſus, non ars, non diſciplina, aut iubet, aut ſuadet, aut omninò patitur. At enim hanc ſuam hiſtoriam ad tempus in obſcuro manere voluit: quid tum? nemôn ante Procopium? poſt eum nemo, ea ſcripſit, quæ cum periculo ſuo emanare, quæ ſe viuo in lucem exire noluit? ſed quis tamen tam mente captus, vt ſcripta ſua, arcana proinde nominanda eſſe exiſtimaret? Verum demus hæc omnia, ſiue prudentiæ tuæ, Alemanne, ſiue Vaticanæ, in qua verſaris auctoritati. Illud quæro, qua tu ratione tantā vim in vnius Procopij teſtimonio

monio ineſse putes, vt illud ad tanti Principis infamiã valere oportere cenſeas? nã ſi huius aduerſus Iuſtinianũ vocem audiendam eſse credimus, cur non Zozimi fidem contra Conſtantinum ſequendam eſse dicimus? ſit igitur Conſtantinus ſtolidus & vecors; ſit natura agreſtis, & ferox; ſit auarus, ſit totius vitæ ratione non ferendus, ſit infamis illius tributi, quod ex lupanaribus petebatur, non exactor modò, verũ etiam author: Criſpum filiũ ſuum gladio percuſserit, Fauſtam vxorem, fumo ſuffocauerit. Iſta vero duo tam immania facinora, in Helenæ matris ſuæ ſanctiſſimæ feminæ gratiam perpetrauerit: ſit illa cædium illarum conſcia, ſocia, conciliatrix. Quod ſi nemo hactenus tam perditus Chriſtianus repertus fuit, qui Zozimo in cauſa Conſtantini fidem habendam eſse cenſuit, quæ, malum, te veſania vexat, Alemanne, vt tu Procopiũ aduerſus Iuſtinianum bacchantem, tanquam teſtem locupletem & integrum, auſcultandum eſse putes? niſi forte hunc illo meliorem chriſtianum fuiſse exiſtimabimus: & ut quidem

proco-

ſiſſe, & ad decimum vſque Iuſtiniani annum perduraſse diximus: Denique ne litem iurgio ſoluere videamur, Synodi olim ſub ipſo Iuſtino Conſtantinopoli celebratæ iudicio ſtetur: in ea Patres, vt Patriarcham ſuum, quid, de Manichæis faceret, muſsantem confirmarent, ſic eum alloquuntur: multi " anni Patriarchæ: Iuſtinus viuit, Or- " thodoxus regnat, ex nunc non times " Amantium, nec Manichæum; Iuſti- " nus regnat, quid times Amantium? " mortuus eſt Amantius, rebellis Trinitati: Itaque quæ duæ res controuerſiæ huius caput erant, eæ ambæ hac vna Synodi illius voce, fiunt manifeſtæ: Amantium enim, non ſub Iuſtiniano, ſed ſub Iuſtino, non ob iurgium ſed ob hæreſin cæſum fuiſſe liquet. Ecquid vides Alemanne, quam turpitèr hic tuus Procopius in ipſo ſuæ contra Iuſtinianum actionis limine procumbit? Sed grauius vt opinior, eum vrget, a cæde Vitaliani, nefas. Illicò, inquit, " occiſo Amantio, vocatum mittit Vita- " lianũ Tyrannum: pauló deinde poſt " dato ſuſpicioni atque offenſioni loco,

Pag. 441. & 448. tom. 2. Cocil.

Pag. 30.

quòd

contra fidem datam, cum ac neceſſarios in aula impiè contrucidauit.

Bona verba quæſo, Alemanne, ea enim fuit Vitaliani vita, ij mores, tam inexpleta denique ſanguinis hauriendi ſitis, vt ſi eum a Iuſtiniano non vnâ morte, ſed per tormenta ſublatum fuiſſe confiterer, non multū ego mihi de cauſa periſse exiſtimarē: Hic enim erat Vitalianus ille, qui Anaſtaſio imperante, ciuili ſuſcitato incendio, multas & horrendas cædes in Romano imperio perpetrauerat, qui gentes barbaras ſuis ſedibus excitas, ad agrum Conſtantinop. vaſtandum induxerat, qui ipſam vrbem terra marique obſidione cinxerat: abſeſſamque vi cepiſſet, niſi eà Proclum ſuū, hoc eſt geminū Archimedem, illo tempore ciuē intra muros habuiſſet: Is enim cum ſpecula quædam ærea, ingentis magnitudinis mare verſus è mœnibus ſuſpendiſſet, radios ſolares ijſdem exceptos, in claſſem Vitaliani tam multiplices immiſiſſe dicitur, vt non aliter quam fulmine correpta ſubitò omnis deflagaret. Itaque, Alemanne, ſi eum a Iuſtiniano, qui poſt Anaſtaſium ſecundus

ndus imperium obtinuit, cæſum
iſſe confiterer, quis tam vecors vt
dem illam increparet? Siue enim
eum ſpectamus, nulla illi gratior vi-
ma, quam tam nefarij hominis caput
nouo Imperatore immolari potuit;
e homines, cui tu quæſo ciuium
ulos indoluiſſe putas, quum eius ſan-
ine forū perfuſum eſſe cerneret, cuius
lere ſuæ vrbis & mœnia & maria ciui-
cruore nuper inundaſſe meminiſſet?
erū te nō latet, Alemanne, triplicem
e de cæde Vitaliani famam. Euagrius
m, non a Iuſtiniano, ſed ab ipſo
ſtino, ſpe præmiorum ad ſe perlectum
veterum delictorum vindictam ſub-
um memorat; Zonaras a populo Con-
ntinop. per tumultum occiſum re-
t; alij eum a Iuſtino, ſummo in fauore
bitum, ampliſsimiſque ab eo ho-
ribus & diuitijs cumulatum fuiſse
eminerunt; hominem verò deinde
tuna ſua ſtolidè vtentem, ipſi Impera-
i imperare voluiſse, & a Iuſtino, Iu-
nino in conſilium adhibito, oppreſ-
n, mox in ipſo palatio a ſatellitibus
ntrucidatum affirmant: horum igi-
tur

tur trium, ſi ex duobus primis alterutrum verum eſse volumus, cædes Vitaliani ad Iuſtinianum nihil pertinet: ſin tertium, hoc tantùm; nam vel iure cæſum eſse oportet, & laudem meretur Iuſtinianus: vel iniuria, & tum mandantis ſcelus, non miniſtri culpa fuit. Sed nondum ſiſtit ſe Iuſtiniani crudeli-
Pag. 30. " tas; Non enim illi ſatis, inquit, Ro-
" manum imperiū euertiſse: ad ſubiu-
" gandam Africam & Italiam vires cō-
" uertit, vt cum adiectis prouincijs illas
" etiam gentes vnū in exitium deturba-
" ret. Quid? tantamnè ineſse in homine amentiam, vt rem nullis vnquam laudibus ſatis pro merito celebrandam, clariſsimo imperatori crimini vertere non erubeſceret? Italiam Iuſtinianus, Gothorum, Africam Vandilorum tyrannide ereptas, captis eorum Vitige, & Gilimere Regibus, & in triumphum ductis, Romano imperio, ſua virtute & fœlicitate reſtituit: quod quoniam ſine mutuis hinc inde illatis acceptiſque cladibus præſtari non potuit, ideo præclariſsimum Imperatorem, & ad Romani Imperij reſtaurationem natum,

crude-

crudelitatis & ſanguinis bonus hic noſter hiſtoricus accuſat: nec ſemel dixiſſe ſat eſt; ter, quater, diuerſis libelli ſui partibus, ictum repetit: nuſquam enim certo orationis curſu fertur, ſed vt ſolent canes rabie correpti, eōdē ſemper redit, & in malè dicēdi gyrū voluitur, planè vt eum conſcientiæ ſtimulis, & veſaniæ ſuæ furijs inter ſcribendū vehementiſsimè agitatum fuiſſe ſentias. Ego igitur hanc belluā rationibus conſtringere? ego argumentorum laqueis vincire? ego ſine ratione aut modo furentem, verbis reprimere & coercere ſtudeam? non faciam ô Bone: Tu modò hinc diſce, quo odio, qua inuidia, quamquè impotente animi libidine & mentis furore percitus ad has res ſcribendas proceſsit Procopius, inde quid de Alemanni huius cōſilio ſtatuendū ſit, faciliùs aſsequeris.

Neque verò quæ ſequitur, melioris exempli res eſt: longa enim oratione in Iuſtianianum inuehitur, quòd ſuo tempore Venetorū fouiſſet factionem. Erat nimirum illa ætate populus Romanus in duas diuiſa factiones, harum altera Veneta, altera Praſina dicebatur. Pag. 30.

Iſtud

Iſtud vero malum Conſtantinopoli ortum, adeo per vniuerſum Imperium peruaſerat, vt nulla iam regio, nulla ciuitas, vrbs, vicus, domus ferè nulla relinqueretur, quæ ab illa contagione immunis ageret. Hij non ſolum alteri in alteros, verum etiam in plebem, in vrbẽ ipſam, in ſacratiſsima Dei Templa, nullo lucis aut tenebrarum diſcrimine, non rapinis modo, ſed etiam ſtupris, incendijs, cædibus, fœdum in modum graſſabantur: ſæpe verò armis, animiſque iunctis, ipſi Imperatori & Romano Imperio formidabiles imminebant. Itaque prudentiſsimus Imperator ſagaciſsimo conſilio vſus, factiones, ne rurſus coire poſsint, interſe commiſiſſe dicitur ipſe Venetos, eius vero vxor Theodora Prſianos muneribus & verbis ad gratiam comparatis ſtudioſè coluit: ita alteros pro alteros, incolumi imperio, breui tempore abſumpſit. Et erat quidem iſta, vt eſt in prouerbio, Cadmæa victoria erat planè: ſed non minus Iuſtiniano tunc, quam olim Cadmo neceſſaria, & reip. corpori ſalutaris; nam ſi iſtud crudelitatis exemplum eſſe

vis-

vis, quanto crudeliores ſummi veſtri Pontifices, Alemanne, quos Guelphis olim aduerſus Gibelinos, pari quidem ſtudio, ſed conſilio non æque honeſto fuiſſe legimus?

" At enim illo Iuſtiniani facto, vni-
" uerſum ſuis ſedibus eſt conuulſum
" Romanum imperium, omnia paſ-
" ſim concuſſa, locoque dimota, iu-
" ra, leges, ac totius reip. ſtatus ſuſ-
" que deque tracta ſunt. At inquam meminiſſe te oportet, Alemanne, Procopium tuum fuiſse Rhetorem: id eſt, hominem, ipſo genere, vt apud Platonem habetur, lingua immodicum, pudore vacuum, rerum ſcientia deſtitutum, & a Socrate omni loco, omni tempore deriſum; nam ſi rem ſpectes, ſi reliquam hiſtoriæ Procopianæ telam, quam ſobrius adhuc texuiſse videtur, mente repetas, quid tam futile? quid tam ſtolidum? quid tam a veritate, quam iſta eius oratio, alienum? Dixi modo Italiam & Africam, duas potentiſsimas prouincias, & quæ de terrarum orbis imperio dudum inter ſe decertauerant, illo tempore barbarorum manibus

nibus ereptas,& Romano imperio fuiſſe reſtitutas. Quid Perſas nunc referam, illa ætate a Romano milite debilitatos? Quid Erulos, Hunnos, Antaras, Gepidas, Alanos, Zanos, Abyſsenos, Blemyas, gẽtes alias innumeras, Iuſtiniani auſpicijs, vel edomitas, vel ſponte ſua in eius fidẽ concedentes, memorem? Quid hæreticos Romano ſolo pulſos? Quid templa? portus? pauperum hoſpitia? quid ædificia publica? quid ciuitates & vrbes, eo numero, ea magnificentia, & pulchritudine conſtructas? quid vias locis oportunis ſtratas? quid pontes rapidiſsimis vbique fluminibus iniectos? quid leges latas? qnid iudicia conſtituta? quid infinita Romani imperij decora, & illorum temporum ornamenta dicam? hæccinè tam præclara, tam diuina munera, Imperij ſuis ſedibus conuulſi? hæc reip. concuſsæ, ſuoque loco dimotæ, & ſurſque deque tractæ, argumenta tibi videntur? aut te nondum Alemanne, præclaræ huius prouinciæ ſuſceptæ pænitet? ſed erat, tamen, inquis, crudelis & ſanguinarius Iuſtinianus. Quid

igitur

igitur ſi ea clementiæ & manſuetudinis eius exempla nunc profero, quibus maiora, magiſque expreſſa, in nullo vnquam Principe reperta proferri poſſint? nihil ego de iis, quos modo dixi, Vitige & Gilimere Regibus, hic dicam; quibus, ſi eo fuiſſet ingenio Iuſtinianus, quo fuit olim C. Marius cum Iugurtham cepiſſet, gulam laqueo confregiſſet: verùm viuere paſſus eſt, atque ita viuere, vt eos fortunæ priſtinæ cum priuata commutatæ non multum pœniteret. Erat verò in illa aula vir quidam nobilis Ioannes cognomento Cappadox, non is, quem modo vrbis Antiſtitem fuiſſe dixi, ſed Prætoriorum per Orientem Præfectus; & Patriciorum, dignitate, opibus gratia, potentiſsimus. Hunc igitur Iuſtinianus conſilij aduerſus ſalutem ſuam initi bis damnatum, non occidit, ſed primùm monaſterio, deinde carceri mancipauit. Poſſem & de Artabane dicere, viro militia claro, & apud milites gratioſo: Veruntamen & illum Maieſtatis conuictum, gladio ferire noluit; ſed carcere primum in-

cluſum, paulò poſt non ſolum liberauit, verum etiam fortunæ priſtinæ reſtituit, eiuſque deinceps, in rebus dubijs, opera vti non dubitauit. Quid ego de Martino, viro acri, & Orientis Præfecto loquar? quem Iuſtinianus atrocißimi criminis in Gubazem Lazorum Regem commißi conſcium, anteactæ vitæ verecundia, cingulo quam vita priuare maluit. Beliſsarium ducem non occidit: nec erat fortaſſe cur occideret. Qualem, Deus bone, virum? quo conſilio? quanta animi fortitudine? & quanquam ſcio non ſolere eo nomine laudari milites, non verebor tamen dicere, quanta vitæ continentia præditum? nullam, præter Antoninam ſuam, mulierem noſſe, ex captiuis nullam vnquam in conſpectum ſuum venire paſſus eſſe memoratur. Itaque non ego Iuſtinianum, vt clementem laudo, quod innocentem non occiderit, ſed ſanguinarium fuiſſe nego. Bis eum imperij affectati accuſatum, bis in ius vocatum ferunt, nec tamen morti traditum. Non enim Iuſtiniano placuit noua iſta ſapientia,

qua

qua claros, & in rep. potentes viros, vel in capitis diſcrimen nunquam vocandos, vel ſi vocentur, ſemper damnandos eſſe putant: Eminuerò neminem, ſe Principe, iudicio non obnoxium, neminem inſontem in iudicio repertum, alieni timoris pœnam ſuſtinere voluit. Quid? quod omnia iſtiuſmodi pericula, (qua erat ſui fiducia) tanquam infra ſe poſita & animo ſuo minora ſemper contemnebat. Itaque cum ſeptimo imperij ſui anno Hypatium & Pompeium atrociſsimæ ſeditionis principes, & tyrannidis inuaſæ reos oppreſsiſſet, eorum liberos, non ſolum pro more a maioribus accepto, non occidit; verum etiam paternis ſtatim hæreditatibus donauit. Quanquam quæ de Beliſſario modò dixi, ea ex quorundam medij temporis hiſtoricorum ſententia dixi: mihi enim ex antiquiſsimis autoribus rem conſideranti ſatis liquet; eum perpetuo honorum curſu, & eodem gloriæ tenore, ad extremum vitæ ſpatium perueniſſe: Refert enim Agathias Myrrinæus, qui illis ipſis temporibus ſcripſit, vltimo

ferè Iuſtiniani anno, Hunnos, Iſtro transmiſſo, ad centeſimum ab vrbe lapidem conſediſſe: inde excurſione facta, ipſis mœnibus & portis pauorem intulisse: Itaque aduerſus eos, quamuis exacta iam ætate, & annis confectus, mittitur Beliſsarius. Qui commiſso ad Melantidem prælio, memorabilem inde victoriam ex barbaris reportauit: Neque vero vlla vnquam lux Beliſsario affulſit glorioſior: alijs enim prælijs aucti, illo vno Romani imperij a ſe conſeruati decus tulit; itaque ad vrbem reuerſus, effuſa omni multitudine, tanto populi ſtudio acceptus eſt, quanto nemo vnquam: ac ne ipſe quidem, cum cum reges olim captiuos & vinctos traheret. Et verò idem, quem dixi Agathias, cum æmulorum inuidia & obtrectatione, haudquaquam pro merito, dignam ab Imperatore gratiam retuliſſe narrat: verum de crimine, de iudicio, de bonis, vel in vita vel poſt mortem confiſcatis, fabulæ.

Sed redeo ad Procopium, cuius ego primos impetus non ſolum irritos, verum etiam impios eſſe demonſtraui.

Itaque

Itaque non erat crudelis Iuſtinianus: at erat fortaſſe omnium ante ſe Impe- Pag. 36.
" ratorum ſtolidiſsimus. Erat, inquit,
" mirè ſtolidus & lento quam ſimilli-
" mus aſino, capiſtro facile trahendus. ô prudentē Procopiū, ô ſapientem Alemannū, quibus magnus ille & celebratiſsimi nominis Imperator, tam ſtolidus, & Aſino, hoc eſt, inter pecudes maximè pecudi ſimilis fuiſse exiſtimatur. multa dudum Alemanne, commemoraui, ab illo viro ſummo ſtudio elaborata; quæ Romani imperij ſuis ſedibus non conuulſi argumenta eſſe dixi: poſſem hoc in loco quærere, num illa eadem tibi hominis ſua mente emoti, & ſtolidi ſigna eſse videantur. Nam ſi Iuſtinianus a mortuis reuocatus, non iuris ciuilis corpus a ſe compoſitum, & in quo humani ingenij captum exceſsiſſe videtur, ſed Templa, baſilicas, vias publicas, portus, mœnia, aquarū ductus, & alia ædificia a ſe extructa, magnitudine immenſa, arte ſtupenda, pulchritudine miranda, numero infinita tibi oſtenderet; & a te quæreret nūquid illa opera hominis ſtolidi & aſini capiſtro

trahendi ſimilis eſse viderentur, quid diceres? an cum ſententia tua a ſtultitiæ opinione non liberares? aude dicere.

Sed tamen iſta fortunæ & fœlicitatis potiùs quam animi & ingenij eius fuiſse contendes; & meritò quidem fortaſse contenderes, niſi ipſe Procopius, in illis, quos de ædificijs Iuſtiniani ſcripſit libris aliter ſe rem habere docuiſset. Etenim in illorum primo ita ſcripſit, " Regias Iuſtinianus alibi inſtaurauit, " quarum magnificentiam, cum artificij ſubtilitate, & magnitudinem " cum decore coniunctam; ego ſatis " eloqui non poſsum, dixiſse ſufficiat, " Regia eſse opera, a Iuſtiniano per-" fecta, præſente & artificium diri-" gente, nihil non perluſtrante & pe-" cunijs non parcente. Itaque vides Alemanne, in illo viro rerum affluentiam cum animi virtute fuiſse coniunctam, eumque ad illa tam præclara opera, non ſolùm pecuniam, verùm etiam operam, artem, mentem adhibuiſse. M. Cicero, in eo libro quem de ſenectute conſcripſit, M. Catonem de

de Cyro Medorum Rege, ex Xenophonte ſic narrantem facit. Cyrus Mi-
" nor Perſarum Rex, cùm Lyſander La-
" cedæmonius ad eum veniſset Sardis,
" & cœteris in rebus comis ergà Ly-
" ſandrum fuit, & ei quendam conſe-
" ptum agrum, diligenter conſitum
" oſtendit: cum autem admiraretur Lyſander & proceritatem ar-
" borum, & directos in quincuncem
" ordines, & ſuauitatem, quæ afflaretur è floribus, tum dixit, mirari
" ſe, non modo diligentiam, verum
" etiam ſolertiam eius, quiſquis fuit,
" à quo eſsent illa dimenſa & deſcri-
" pta; & ei Cyrus reſpondit, atqui
" ego ſum omnia iſta dimenſus, mei
" ſunt ordines, mea deſcriptio, multæ
" etiam iſtarum arborum mea manu
" ſunt ſatæ. Quorſum, inquies, iſta de Cyro? eò Alemanne, vt intelligas, Reges & Principes in huiuſmodi operibus ſolertiæ laudē interdū non aſpernari. Itaque ſi Cyrus, Rex præſtans ingenio atque imperij gloria, laudes ſuas in agriculturæ ſtudio, tam libenter non ſolùm audiebat, verùm etiam prædi-

cebat, quanto magis Iuſtinianus de ſe ſuoque ingenio, in rebus ad tectonicam, (in qua humani ingenij vis & ſagacitas maximè ſpectari ſolet,) pertinentibus gloriari poſſet? niſi fortè cuimaius & præſtantius videtur, laborum quam Templorum ſpatia metiri, arborum quam ædificiorum ordines dirigere, agrum ſepibus, quam vrbem mœnibus & vallis claudere. Verùm hæc, qualiacunque ſunt, ad Architecturam potius, quam ad Imperatorem pertinent: certè, ſed tamen Cyrus ille, cum ea, quæ modò, de ſe fateretur, non verebatur ne Lyſandro, ſummæ virtutis & prudentiæ viro, hortulanus quam Rex melior videretur. Iſta enim profecto eiuſmodi ſunt, vt ſi abſint, nemo ea in Principe requirat, ſi adſint, reliquas virtutes vtiliores ſæpè, ſemper ornatiores reddant.

Quid verò eius in rebus apto & iuſto ingenioſo emblemate ſignificandis ſolertiam loquar? Imperatoribus & regibus iam inde ab antiquis temporibus ſolenne fuit, & nunc eſt, quoties vel marmorei ſtant, vel in tabulis pinguntur,

', in manu læua geſtamen, globum, n cruce deſuper infixa, ferre: iſta ò quaſi teſſera ſignificant, cruci riſti orbem terrarum eſſe ſubditum, ero ob fidem in ea, mundi domi- ; eſſe factos: huius igitur inuenti em tu autorem fuiſſe putas? ſi neſcis manne, Iuſtinianus fuit: vt refert hor ſæpius a te laudatus Suidas. Cum tur inuenta eius talia eſsent, vt om- deinceps Imperatores & Reges um ſenſum & ingenium ſibi ſe- ndum eſſe duxerint, eum tu Ale- nne, Aſino ſimilem eſſe dicere non beſcis?

Sed nimis ego aduerſus Procopium lifficilis & durus. Non enim inquis, lle Iuſtinianum conſtante iam, ſed confecta demum ætate Aſino ſimi- em eſſe dixit. Verum vide quæſo manne, vide inquã & conſidera, iſta Procopij ſiue defenſio ſiue excuſa- qualis ſit; primùm enim falſa, dein- & improba eſt & ſtulta: Iuſtinianus inta & nouem imperabat annos. ecdota verò illa quoto imperij o conſcripta? triceſsimo ſecun- Pag. 36.

 do;

do; vt in ipſo Anecdotorum volumine continetur: iam vides, non de confecta ætate ſenſiſse, cum ſeptem annis ea ſcripta ſunt, antequam Imperator mortuus eſset, & quo tempore in maximis & grauiſsimis imperij rebus ſumma cum laude verſaretur. Sed fuerit vera: quid improbius? quid ſtultius cogitari potuit, quam virum ſola ſenectute debilitatum & inutiliorem redditum Aſino ſimilem fuiſſe dicere? Ideò enim Principibus? ideò parentibus? propinquis? amicis? ideò bonis omnibus longam vitam, & multos annos precamur, vt cum eò peruenerint, aſinos appellemus? Ipſe Iuſtinianus quid? ideò gerontocomia, hoc eſt, ſenibus fouendis hoſpitia, tanta cura, tanto ſuo ſumptu comparabat, vt eſsent, vbi aſinos in ſenectute paſceret? non poſsumus, Alemanne, omnes eſse, quales Hieronymum Syracuſarum Tyrannum, aut Deiotarum Mauritaniæ olim Regem, aut denique Ageſilaum Spartanum fuiſse legimus; qui octuageſimum ætatis annum prætergreſſi omnia vitæ munera exequebantur vt

iuuenes:

iuuenes: itaque paucos Reges accepimus ad profundam ſenectutem, ſine graui regnorum ſuorum incommodo perueniſſe. Etenim cum ætate, gratia, fama, res, animi vis, & memoria, ſine quibus regendi autoritas, non retinetur, ſeneſcere & deflorere ſolent. Nihil ego hic de Dauide & Salomone Regibus, qui viridi, conſtante, prouecta ætate res cum incredibili virtute ſapientia, fœlicitate geſserunt. Veruntamen ſenibus iam factis, erat in altero quod requireres, in altero etiam quod reprehenderes. Ad recentiora venio: Ludouicus Gallorum Rex & Imperator, Caroli magni filius, cognomento Pius, multos annos, non ſolum vt cognomento eius dignum erat, verum etiam fortiter imperij res adminiſtrabat: attamen quum vigor ille animi, cum corporis viribus conſenuiſſet, primum filijs ſuis, deinde & Curiæ Romanæ, in prædam ceſsit, ad quam Pontificis Romani creandi ius, quod a patre acceperat, cum incomparabili totius orbis Chriſtiani damno tranſtulit. Quid ego de Edoardo

noſtro

noſtro, eius nominis. Tertio loquar? quas res ille terra marique? quo conſilio? quàm perpetuo gloriæ curſu? quanto humani generis fauore, & plauſu geſsit? quantis ille cladibus Galliam, quàmquam viris & opibus tum maxime abūdantem, afflixit? Duos ille eodē tempore, alterum Gallorum, alterum Scotorum Reges captiuos habuit. Imperium vero Romannm, conſentientibus Germaniæ ſtudijs ad ſe delatum, vel gloriæ ſatietate reſpuit, vel animi moderatione recuſauit. Sed tamen cum iam ad vltimam ſenectutis metam appropinquaret, plus apud eum vnius mulierculæ blanditiæ valuerunt, quam aut fama eius priſtina, aut præſens regni fortuna poſtulabat. Et tamen nullus horum ad eam, quam profundam dixi, ſenectutem peruenit: Iuſtinianus vero ad vltimam fere humanæ vitæ metam penetrauit: ſunt enim qui illi nonaginta & amplius annos tribuunt: & tamen domi foriſque ita ſe & imperij res conſilio & autoritate tuebatur, vt præter ipſum nemo eum ſenem factum eſſe ſenſerit. Finge

tamen

tamen cum tot annorum curis & vigilijs, tanquam ex longo itinere fatigatum, vel in imperij negotijs tardiùs incedere, vel in alijs vitæ officijs claudicare cæpiſſe; quiſquamnè, præter Procopium, & eius ſectarium, Alemannum, tam aduerſus naturam ingratus, & improbus, vt non eum ad pueros potius quam ad Aſinos rediſſe diceret? aut ſenectutem eius per ſe oneroſam, tam graui inſuper conuitio premendam fuiſſe exiſtimaret? At enim erat ſtatuæ cuidam Domitiani ſimilis: odioſa comparatio: ſed tamen multos, Alemanne, inter ſe ſimiles natura finxit, quos diſciplina ad ſtudia planè diuerſa efformauit. Demus igitur eum illi ſcelerum portento totius corporis habitu fuiſſe ſimilem; quid hoc ad rem? quid ad animi ſenſum? quid ad ingenium? quid ad Iuſtinianum pertinet? nam ſi veram Iuſtiniani imaginem videre vis, non tu corporis illius ſpeciem (quæ tamen plena decoris & Regiæ maieſtatis, fuiſſe dicitur), ſed iuris ciuilis corpus inſpice: ibi omnes veneres & amores, ibi formam imperio dignam, ibi verum Iuſti-

ſtinianum & incredibilem animi eius pulchritudinem aſpicies: Itaque ſtultus magis an improbus fuit Procopius plane neſcio: eo vno tamen non imprudens, quod hæc tam ſtolida commenta ſua, quam diu vixerat, inedita manere voluit. Nam ſi viuus edidiſſet, mihi crede, Alemanne, quantacunque erat impudentia, nunquam ille, non dico iram & odium, ſed ne ora quidem & oculos hominum ſuſtinuiſſet: & tamen quæ hactenus a me refutata ſunt conuitia, ſi cum ijs quæ ſequuntur conferantur, nihil ſunt: Dicacem, ſubdolum, diſſimulatorum, ira occultum, mentis tegendæ artificem, non ex animi dolore, ſed ex re lachrymare ſolitũ, quolibet mancipio mendaciorem: inconſtantem amicis, inimicis inexorabilẽ, auri & ſanguinis ſitientiſsimum, contentionum rerumque nouarum ſtudioſiſsimum, ad ſcelera facilem, ad optima nullis ſuaſionibus tractabilem, in comminiſcendis perpetrandiſque facinoribus acerrimum, honeſti verò vel nomen ei inſuaue fuiſſe narrat. Hijs, inquit, atque alijs plurimis laborauit

" rauit vitijs, vltra modum prauitatis " humanæ quam a ſingulis Hominibus " acceptam in illius conieciſſe animum " natura viſa eſt: Rectè Pindarus, verba inuidis cibum potumque eſſe dixit: nihil eſt enim inuidia, dum cohibetur & ſilet, macilentius aut languidius; luxuriat eadem & pingueſcit, cum verbis ſe commouere & licentiùs efferre cœperit: Iſtud vero vitium cum in omni hominum genere, illiberale ſit & turpe, tum in hiſtoriarum ſcriptore longè turpiſſimum eſt, & maximè auerſandum; Itaque Iuſtus Lipſius Paulum Iouium, tantùm non, ex hiſtoricorum albo deleri iuſsit, quod Laurentium Medicen, in ſua hiſtoria, tanquam apud iudices, parricidij reum egerat: noſter verò iſte, Iuſtinianum, non vnius criminis, ſed omnium, quæ vel lingua humana enumerari, vel mente cogitari poſsint, ſcelerum & turpitudinum, non apud iudices accuſat, ſed tanquam ipſe iudex eſſet damnat: Quid igitur, tibi Alemanne, in mentem venit vt tu ſcurram iſtum & rabulam, conuitijs & maledictis, tanquam genio ſuo indulgentem,

rem, omnibus ingenij tui viribus, non tuendum modò, verum etiam ornandum eſſe exiſtimares? Quanquam ex iſtis multa ſunt, quæ vel in laude poſita, Iuſtinianum magnum virum, & ad imperium natum fuiſſe oſtendant. Erat, inquit, ira occultus, & mentis tegendæ artifex: & verò, inquam, iſta eiuſmodi in Principe ſunt, vt qui aliter inſtitutus ad remp. tractandam accedit, is & ſe & remp. breui perditurus eſſe videatur. Etenim candorem & apertum animi ſinum, in amicitijs, in contractibus, in reliquis vitæ communis officijs, verſari volo: in publicis verò conſilijs, ſilentium, & occultum animi ſenſum, adhiberi par eſt: omnes enim Principis animum, ſenſuſque & cogitationes, non ſolum ex verbis, verum etiam ex vultu & oculis ſpeculantur: itaque cum in hijs tot tantiſque quaſi inſidijs verſetur, vtrùm tu eum nudo pectore incedere, an ſilentio & dolo tanquam thorace tectum & munitum eſſe vis? non enim ſi dolum audieris, tu eum ſtatim malum eſſe exiſtimaueris; eſt enim & bonus: quoties nempe ad ſalutem reip. ſalua fi-

de

de, adhibetur. Improbo & potenti ciui iraſcitur Princeps? non iram, cum ſuo & reip. periculo ſtatim effundet;ſed in tempus vindictæ oportunum cõtinebit; nam ſi noxias interdum feras & volucres, vel cantibus, vel perſonis, vel alijs fraudibus, in retia & caſſes trahimus, quanto magis hoc aduerſus perniciosum ciuem, ad exitium reip. tendentem, faciemus? Politicorum, inquies, hæc eſt ſententia; metuebam herclè ne Theologorum diceres: quotus enim quiſque eorum eſt, qui hanc mentis & conſilij celandi artem in principe damnandam, audaciùs dicam, qui non laudandam eſſe cenſuit? Verùm erat adlachrymandum facilis: Vetus dictum eſt, humanũ eſſe humanis caſibus ingemiſcere. Alexander Dario a ſe victo, Æmilius Perſeo Macedonum Regi a ſe capto: Scipio Carthagini a ſe deletæ; Cæſar denique Pompeij capiti a ſe oppreſſo, illachrymaſſe dicitur. Itaque ſi Iuſtinianus,tot Regibus a ſe captis, tot ciuitatibus in ſeruitutem redactis, tot gentibus diuerſo Marte ſuperatis, aliquando illachrymauit, quis tam ab omni

ni humanitate alienus, vt illas lachrymas vituperaret? ſed eſto: lachrymæ mulierum propriæ ſunt: in viris ſuſpicione non carent: Quid ergo Alemanne, de Clemente octauo, Pontifice quondam Romano, lachrymabundo illo ſene, fiet? multa quidem erant in illo viro Pontifice non indigna; ſed tamen inter aliam Romanæ aulæ ſupellectilem, lachrymas ad voluntatem fluentes habuiſſe dicitur. Illud vnum mirari libet, qua tandem Helicone potus Iuſtinianus, qui modò *Aſino* capiſtro trahendo ſimilis eſſe dicebatur, ſic nunc repente verſutus, dicax, ſubdolus, in rebus gerendis acer & impiger, mentis occultandæ, ſimulandique & diſsimulandi artifex, hoc eſt, ingenioſus planè, & ferè alter Vlyſſes prodijt. Parumne tibi, Alemanne, videtur hic tuus hiſtoricus, non delectu aliquo vel iudicio, ſed cæco quodam furore, & animi impetu, in clariſsimi Imperatoris nomen & famam irruiſſe?

At enim erat Iuſtinianus quolibet mancipio mendacior, & fidem cuicunque datam violare ſolitus. Imò eum fœde-

fœderum & pactorum, iuriſque & fidei obſeruatiſsimùm fuiſſe contendo: nam ſi aliter res eſſet, nunquam tot Reges & Principes bello fracti, nunquam tot gentes & populi ſua ſponte, & ſola nominis eius fama & claritudine exciti, ſe fortunaſque ſuas, eius fidei & tutelæ commiſiſſent; quorum neminem ſuæ in eum fiduciæ vnquam pœnituiſse. legimus.

Verum erat amicis inconſtans, inimicis inexorabilis: Nihil ego hoc loco, de eius clementia dicam: iam dudùm enim eum in offenſionibus remittendis, omnium mortalium facilimum fuiſſe demonſtraui. In amicitia veró colenda ea fuit conſtantia, vt ſi quem ſemel amare cæpiſſet, nunquam illeſe ab eius amore ſine graui eius flagitio dimoueri pateretur. Taceo hoc loco Beliſſarium: de Narſete loquar: qui pietatis, religionis, munificentiæ, miſericordiæ, bellicæ denique laudis, & virtutum omnium vnicum illo tempore in terris exemplar apud Autores fuiſse dicitur: Hunc igitur cum pari virtute eſſe cerneret, pari cum Beliſ-

ſario

ſario in honore habuit. Quoniam verò ille, nunquam ab officio, tranſuerſum quod dicitur, vnguem declinauit, ideò nec leuiſsimam vnquam Iuſtiniani amoris mutationem ſenſit. Quid Salomonem ducem, Beliſſarij in Africa ſucceſſorem, commemorabo? quem ita viuum dilexit, vt etiam defuncti memoriam, toto animo veneratus fuiſſe perhibeatur. Quid Mundum? qui non pugnando ſed vincendo, & parta demũ ad Salonas de Gothis victoria, occubuit: cuius virtutẽ & fidem tanti fecit Imperator, vt eius mortem acerbiſsimè defleret. Quid Rufinum? Hermogenem? Marcellum? quid Proclum Quæſtorem? quid Iuſtinum? quid Tribonianum? quid alios innumerabiles recenſebo? quorum nemo vnquam, alium amicitiæ Iuſtiniani, quam vitæ ſuæ finem expertus eſt. Quæres fortaſse, quem harum rerum autorem habeam? ipſum ſcilicet Procopium: qui hæc & huius generis infinita exempla, tum cum nondum furere cœpiſſet, literis commendauit.

" Verum ſceleratiſsimos quoſque ad

dignitates

" dignitates & magiſtratus ſemper " euexit, vt probum quemque eſſe ſen" ſerat, ita, vt ſibi minime idoneum a ſe ablegabat: ô miſeram & infœlicem, ſi quidem iſta vera ſunt, illo tempore remp. Romanorum. Scitum enim eſt illud Marij Maximi antiqui ſcriptoris dictum, a Lampridio relatum: meliorem tutioremque eſſe remp. in qua Princeps malus eſt, quam ea, in qua ſunt amici Principis mali: ſiquidem vnus malus poteſt a multis bonis corrigi; multi autem mali non poſſunt ab vno, quamuis bono, ad emendatioris vitæ rationem reuocari. Sed eſto, Iuſtinianus vt quemque peſſimum eſſe vidit, ita illi potiſsimum res gerendas commendabat: Quid igitur tibi Alemanne, de Beliſſario? quid de Narſete? quid de cæteris eius, quos modò commemoraui amicis & adminiſtris? Quid de Pelagio tum diacono, poſteà Pontifice Romano? Quid de Epiphanio, & Menna Patriarchis, ſtatuendum putas? an non omnes famæ integræ, & ſpectatiſsimæ virtutis viri? an non omnes inter amicos a Iuſtinia-

no habiti, & ab eo ſummis & præcipuis honoribus affecti? an non denique totius & reip. & Eccleſiæ rationes, illorum curæ, fidei, religioni ab illo commendatæ? Sed nolo ego tuam de alienis virtutibus ſententiam exquirere. de Procopio tuo quid tandem ſentias, ſcire cupio: quantis ille dignitatibus a Iuſtiniano cumulatus? ex Rhetore Aſſeſsor Beliſsario datus: bellis demum confectis, in Senatorum numerum cooptatus: inde inter Illuſtres recenſitus: poſtremò ad vrbis Præfecturam, hoc eſt, ad honoris in Romana repub. apicem prouectus. Elige igitur vtrum vis, Alemanne: vel Procopium iſtum, improbum & nefarium, & ſceleribus inquinatiſsimum fuiſse concede, vel Iuſtinianum, alios quam ſceleſtos & impios, ad magiſtratus vocaſsé confitere. Scitè vt omnia, de atheo quodam feſtiuiſsimus Poeta Martialis: Nullos eſſe Deos inane cœ-
„ lū, affirmat Selius, probatque, quòd
„ ſe factum, dū negat hæc, videt bea-
„ tum. Pari quidem ingenio Procopius: Iuſtinianus, inquit, vt quemque ex amicis

:is & adminiſtris bonum probumq;
ſenſerat, ita ſtatim eum a ſe depel-
ſolebat. quo argumento? ni eſſet,
uit, nunquam ille me hominem
tilem, maledictum, inuidum, in-
um, hoc eſt, omnia, ſed maximè
dacem, a primo ferè, ad vltimum
erij ſui annum, tanto amore ſimul
onore fuiſset proſequutus. Sed quid
ulis immoramur? Iuſtiniani ne-
uitiam ſemel audiamus: erat, in-
uit, adeo improbus, vt omnia
umani generis vitia, in illius ani-
num coniecißse natura videatur.
quam ego aliam improbo accuſa-
a Deo immortali mentem dari
auerim, quum vt ipſe ſe ſuo, quod
ur, ferro, inter accuſandum induat.
1 qui ſibi credi vult, non cupidè,
nuitò, non ira, ſed ratione, non
inis ſed criminis odio, non vindi-
priuatæ, ſed reip. ſtudio ad accuſan-
dductus exiſtimari debet: denique
auſam inſtraat oportet, vt multa vel
ianitati vel pudori condonaſse vi-
ur. Hic autem noſter, quam fu-
us? non contentus hominem accu-

ſaſse

ſaſse, naturam, hoc eſt, Deum ipſum accuſat: at quo nomine? quod omnia generis humani vitia in vnius hominis animum coniecit: cuius verò illius? nimirum eius, qui rectè iudicandi artem, qui honeſtè viuendi diſciplinam, qui ſuum cuique tribuendi normam; qui remp. & eccleſiam regendi modum, qui rerum diuinarum humanarumque ſcientiam, qui veram denique phiſolophiā, hoc eſt, rectè & ex officio, non diſputandi, ſed viuendi rationem, ad quam veteres caligabant, non ſolum ipſe diuina quadam animi luce clariſsimè perſpexit, verum etiam humano generi ſequendam diligentiſsimè præſcripſit. Scilicet; idipſum eſt, inquit, " quod dixi: iudicia conſtituit, ipſe " autem nunquam cauſa cognita iu- " dicauit: ſed audito delatore actutùm ſententiā tulit. Hactenus conuitia; nunc tandem crimen audio, ſed eiuſmodi, vt niſi multiplici exemplorum copia probetur, nullam apud bonos & graues viros fidem inuenire debeat. Vnum igitur Procopius hominis a Iuſtiniano indicta cauſa damnati exemplum pro-

ferat: non poteſt: ipſe verò Alemannus, quid? tantundem: Quid? an ſtatuas ſine iudicio tollendas curauit? vt ſic ne vnum quidem animantem cauſa indicta ab eo ſublatum nominare poſsint? deridiculus es Alemanne, qui huic tam vel imperito, vel improbo accuſatori tuam non ſolum operam & ſtudium, verùm etiam famam & pudorem commodaſti: Quid verò, ſi ego nunc, iudicia ab eo, non diligenter magis conſtituta, quam religioſè obſeruata? quid ſi ipſum iudicio ſæpè ceſsiſſe? quid ſi reum iræ ſuæ, per iudicis ſententiam, eripi aliquando paſſum eſſe demonſtrauero? etiam num leges ab eodem latas & ſublatas, & iudicia pedibus ab eo conculcata fuiſſe vociferabere? Gubazem quendam Lazorum Regem, & Romano nomini fideliſsimum, duo præcipuæ in Romano exercitu autoritatis viri, Ioannes & Ruſticus per ſcelus occiderant. Quid igitur Iuſtinianus? an criminis delatos indicta cauſa, occidi iuſsit? nihil minùs, ſed rem iudici cognoſcendam delegauit. Is criminis compertos ca-

pitis damnauit; præcone, vt moris erat proclamante, & monente, vt inde „ omnes, iuſtitiam colere, leges re- „ uereri, & a cædibus faciundis ab- „ ſtinere diſcerent, vt refert Agathias. Quid Euſebium Cizycenum Epiſcopum in tumultu cæſum commemorabo? nam & cauſam hanc iudicibus permiſit: ij Ioannem Capadocem, eo loci tunc exulantem, cædis admiſsæ reum inuentum bonis omnibus priuarunt, & ad panem mendicandum (quod minutuli quidam hiſtorici de Beliſsario referunt) adegerunt: infinitus ſim, ſi huiuſmodi exemplis referendis, immorari vellem, & eſt hæc laus Iuſtiniano forſitan cum alijs pleriſque communis: venio ad illa, quæ Iuſtiniano pecularia ſunt & ferè propria. Germanus ordinis ſenatorij vir, & Imperatori ſanguine coniunctiſsimus in læſæ maieſtatis ſuſpicionem venit: Imperator liberum de reo iudicium ſenatui permiſit: ſenatus cauſa cognita hominem abſoluit: & quamuis Imperator ſuum aduerſus eum præiudicium expoſuiſset, Iudices tamen ſe inſontem

non

non damnaturos intrepidè confirmarunt. Itaque iudicio ſenatus ceſsit Imperator: inuitus quidem, ſed tamen ceſsit: & iuris prærogatiuam, ſuo vel vel iudicio, vel metu, potiorem habuit. Ipſa verò illa Procopij in his ſuis Anecdotis de Theodoto vrbis Præfecto, tam flebilis narratio, quid habet argumenti? quem exitum? niſi Iuſtinianum ſui animi deſiderijs, legum reuerentiam ſemper antepoſuiſse? Theodotus vrbis præfectus, poteſtate fretus, Venetos quoſdam in Praſinos graſſantes, capite punierat; id Iuſtinianus qui factionem alteram quidem per alteram, ſed potius Praſinam ſublatã vellet, in ſui contumeliam factum interpretari: indignè ferre: denique aliorum criminum ſuſpectum iudicio obijcere, & mala morte punitum cupere: malè factum, inquies: nec ego benè factum contendo: ſed exitum quæſo attendito. Proclus Quæſtor, vt refert Procopius, audita cauſa, Theodotum mortem meruiſse apertè negauit: præclarè geſtum, non enim Imperatoris mentem non ſalutem ſuam, ſed legum

 fidem

fidem & iuſtitiam in iudicio ſpectandam eſſe cenſuit: Iuſtinianus verò quid? an Proclo infenſior inde factus? an Reum iudicio abſolutū, pro poteſtate ſuſtulit? non inquis? ſed tamen eum „ ſuo ſtatim decreto in exiliū eiecit: nihil mirum: Proclus enim eum mortem non exilium meruiſſe negauerat. verum ſine iudicio: Quid? cum Auguſtus Naſonem Poetam relegaret, quo quæſo Senatuſconſulto? quo plebiſcito? quo Centumuirali iudicio relegauit? nullo: ſed decreto ſuo: ea enim erat Cæſarum poteſtas, in quos, vniuerſa tum ſenatus, tum plebis, hoc eſt, totius populi Romani maieſtas, & ius, lege Regia, tranſlatum fuit: Quid illa tua Alemanne, de Agapeto Pontifice Romano, & Anthimo Præſule Conſtantinopolitano, ſiue hiſtoria, ſiue fabula? quam vim habet? an non, Iuſtinianum legibus & conſilio potius, quam animi ſui cupiditati parere conſueuiſſe? Anthymum Iuſtinianus in ſede illa collocauerat: id Agapetus, qui a Theodahato Gothorum Rege miſſus legatus aderat, contra morem eccleſiæ

factum

factum eſſe dixit. ius ſuum tueri Imperator; Pontifex patrum decreta defendere; acriter vtrinque gerebatur res: ſed Epiſcopi conſtantia, vinci ſe paſſus eſt potentiſsimus Imperator: qui quamuis vt homo errare potuit, tamen vt Princeps, contra rationem pugnare noluit: ô magnum & præſtantem virum, cuius ne peccata quidem ipſa guſtantur ſine aliquo condimento virtutis. Quam laudem vtinam Deus immortalis Edoardo noſtro, olim Angliæ Regi, eius nominis quarto reſeruaſſet: ſed is, cum reum quendam iudici obtuliſſet, & iudex, cauſa perpenſa, ſe innocentem condemnaturum non eſſe reſpondiſſet, & iudicem ipſum exautorauit, & reum legibus indemnatum, vita pariter & fortunis per vim ſpoliabat: Verùm redeo ad Iuſtinianum: equidem eum ſupra omnes Imperatores & Reges iuris legumque obſeruantiſsimum fuiſſe infinita exemplorum prolata multitudine probare poſſem, ſi aut otium, aut opus eſſet: nunc illud tantùm dico, cum innumeræ eſſent in illo viro virtutes,

tum nullam iſta, in eo fuiſſe, notitia hominum, celebriorem: Capto Gilimere, recepta Carthagine, Africæ regno, Romano imperio reſtituto, litteræ ſtatim Conſtantinopolim aduolabāt, Beliſſarium ſibi victoriam, & ex victoria tyrannidem, & Africæ regnum peperiſſe; nec Beliſſarium latuit iſta de ſe in vrbe agitari: quoniam tamen notum Imperatoris ingenium habuit; ideo cum captiuis & ſpolijs & paruo comitatu intrepidè ad leonem venit: nihil ille ſibi publicè priuatimuè caueri petijt, nec alibi quam in innocentia ſua, & Imperatoris fide ſpem collocare voluit: nec eum ſua fefellit ſpes: reuerſum enim Iuſtinianus cum alijs eum honoribus cumulauit, tum repetito veterum ducum & Imperatorum Romanorum more triumphare iuſſit: nec minore eum lætitia, & fauore excepit, quam populus Romanus C. Marium, ex eadem illa Africa, expugnato Iugurtha, quam duos ante illum Africanos, alterum deuicta, alterum etiam deleta Carthagine redeuntes, excepiſſe dicitur; mitto alia: ſunt

ſunt enim per ſe nota: ſed ex hijs quæ dixi ſatis apparet; Iuſtinianum, vt cæteris virtutibus inſignem, ita aduerſus delatores aures ſuas, conſilio & ratione, ſed ante omnia, innata quadem animi conſtantia præſtructas, & quauis arce munitiores ſemper habuiſſe.

Itaque ſi delatoris vox ad nullius vnquam priuati perniciem, illo Principe, valuit: quanto minus ad vrbium & Ciuitatum, gentiumq; & populorum excidia valuiſſe exiſtimabitur? audita, inquit, delatore actutùm ſententiam tulit, litteriſq; confectis temerè decreuit locorum excidia, vrbium incendia, populorum direptiones.

Equidem, Alemanne, vrbes & ciuitates numero fore infinitas a Iuſtiniano vel inſtauratas vel reſtauratas ſæpe, eius vero mandato dirutas nunquã me legiſſe memini. Quapropter quod dudum feci, id mihi nunc curſus faciendum eſſe video: vnum huius tantæ immanitatis exemplum proferri poſtulo: nam ſi Gothorum, ſi Vandilorum, Antarum, Gepidarum, ſi aliorum barbarici generis populorum, non ſolum vrbes & ci-

uitates deletas, verum etiam gentes & nationes exciſas fuiſſe ais; bellum erat; belli iure defenditur Iuſtinianus: nec tamen Iuſtinianus horribilis ille, qui ſi gentem deuicerat, eam ſtatim radicitus extirpandam eſſe exiſtimaret: bella enim non ſolum perſeueranter, ſed etiam ferociter ferè geſsit: non nego: ſed tamen eorum exitus faciles ſemper erant, niſi quando neceſſarij. Itaque quum ex ducibus eius vnus, nomine Theodorus, Zanorum gentem rebellantem, vnico prælio debellaſset, eoſq; in poteſtate ita haberet, vt verſo pollice, omnes interfici potuiſſent: quid de illis fieri vellet Imperatorem conſulit: at
» ille, non delendos ſed ſeruandos, &
» in ſignum victoriæ tributo ſubdendos
» eſſe reſcripſit; vt refert Cæſarienſis.

Sed non eſt mihi, inquit, cura de barbaris, de Romanis loquor: Nam ſi
» quis omnes a principio repetere caſus
» Romanorum ſingulos, eoſq; cum hijs
» comparare velit, mea quidem (in-
» quit, ſententia, longè plures inueni-
» et factas ab hoc homine cædes quam
» ex omni anteacto tempore. Tua verò,

amentiſsime, ſententia? quid? eamnè tu ſententiā appellas, quæ in tenebris concepta, nullo iudicio, nulla ratione, aut fide ſubnixa, muſsitata fuit? liberior multò eſt accuſandi quam iudicandi ratio; ſed tamen ſi homo hominem ſic homicidij accuſaret, vt interim neminem mortalem vllo teli genere, vllo loco, aut tempore occiſum oſtendere poſſit, eamnè tu accuſatoris, an immanis belluæ vocem eſſe diceres? Verum iſta omnia, præcipite quodam furore actus, omiſit forſitan Procopius. Quare te, Alemanne, qui illius tenebras Notis tuis illuſtrandas ſuſcepiſti, te inquam, rogo, vt huic tantæ caligini & cœcitati Procopianæ, lucem afferas: neſcio, inquis: hoc tantum ſcio, verè a Procopio dictum.
„ Iuſtinianum Imperatorem aurum &
„ ſanguinem ardentiſsimè ſitijſſe: de auro mox videbimus: ſed nunc de ſanguine quid eſt quod ais? Praſini, inquis,
„ populuſq; Conſtantinopolitanus publicè ei in theatro inclamabant, eratque
„ ijs vox illa ſolennis, quam refert The-
„ ophanes, vtinam Sabbatius non fuiſ-
„ ſet natus, ita nec te filium homici-

" dam habuiſſet. Mihi quidem Alemanne, ſic eſt animus: hiſtoriam omnem non minore cum fide legendam eſſe, quam ſcribendam; aliter qui facit, is mihi ex hiſtoria, non veritati lucem, ſed ſuæ libidini & furori facem quærere videtur. In te Alemanne, hoc loco primùm fidem, deinde iudicium re-
" quiro: Praſini, inquis, & populus
" Conſtantinopolitanus ei inclama-
" bant, vt ait Theophanes: quid? an Theophanes a te laudatus author, vllam de populo Conſtantinopolitano mentionem intulit? an non illam Praſinorum, & tantummodò Praſinorum vocem fuiſſe ait? quid igitur eſt? Tu de tuo, Populum Conſtantinopolitanum addidiſti. Vt illa tam tetra, tam dira inclamatio, non factioſorum quorundam hominum, ſed populi totius vox fuiſſe videatur. Ita dum Procopio fidem aſtruis, tibi tollis, & dum Iuſtiniani famam rodere conaris, omnem tibi ipſi verecundiæ & pudoris opinionem demis: fide vero perdita, quid mirum, ſi animo & iudicio tuo tenebræ obortæ reperiantur? Quantulum enim quæſo

mo-

momenti ad id, quod vis, probandum habet, ſi Praſini, hoc eſt, ſi homines furioſi & mali, & ad atrociſſimam ſeditionem ex propinquo tunc ſpectantes, nullo legum metu, nulla officij verecundia, nulla Imperatoriæ maieſtatis reuerentia, talia vſurpabant? multùm, inquies, quia multos ex illo genere, ſine iudicio, & indemnatos morte affecit Iuſtinianus: imò, inquam, vnum erat de toto Praſinorum genere iudicium, eos, cum cœteris flagitijs infames, tum Imperatoris pariter & imperij Romani hoſtes fuiſſe capitales. Itaque ſi quando ſe commouiſſent, non illis iudicium iam, ſed ſupplicium intentandum erat. In Spartana repub. ſexcenti anni præterierant, nec quiſquam Lacedæmone nocentem, aliter quam ex lege, punitum viderat. Veruntamen Ageſilaus, cum Epaminonda Thebano vrbem obſidente, quoſdam intra muros, nocturna conſilia contra rempub. agitare comperiſſet, vna nocte quindecim ſceleratos ciues, nulla lege, capite puniuit: vt narrat Plutarchus: & rectè: non enim reſp. propter legem, ſed lex propter remp. eſt conſtituta:

quare

quare nec Lycurgus ipſe, qui legem de iudicijs tulit, aliter aut ipſe feciſſet, aut Ageſilao poſt ſex mille, ſi ita res tuliſſet, annos faciundum eſſe cenſuiſſet. Itaque quoquò te verteris Alemanne, nullam in Iuſtiniano ſanguinis humani labem, nullam crudelioris ingenij notam, nihil denique non ſereniſſimo Principe, & clementiſſimo Imperatore dignum inuenis. Venio nunc ad alteram illam auri & diuitiarum ſitim, non illam quidem illaudatam, ſi, vt in corpore, ſic in animo, non vltra creſcat, quam rectæ rationis modus patitur. Quare Solon ille Athenienſis ſuum diuitiarum deſiderium verſibus prodere non dubitauit: ditari, inquit, volo, ſed non malis artibus; præclare: eſt enim pecuniarum fructus pacis, pecunia neruus belli, vtrumque ad res in repub. cum virtute & laude gerendas adiumentum affert: Itaq; ſi Iuſtinianus rebus conuenientem diuitiarum ſitim explere deſiderabat; quis eſt, qui ſitim illam non ferendam, imo qui ex priuatorum fortunis, ſi reip. vſus id exigebat, non explendam fuiſſe dicat? nemo, inquis; ſed aliud erat Pro

copij de illa ſiti iudicium: quidnã illud?
» In priuatorum, inquit, fortunas præ-
» cipiti auiditate ferebatur, neque ali-
» quam iuris ſpeciem prætexuit rapi-
» nis bonorum. Graue crimen narras
Alemanne & incredibile; ideo autem
rem incredibilem videri dico, quòd
nullum vnquam Principem illis mori-
bus tot annos in imperio duraſſe,
& ſicca demum morte expiraſſe legerim.
Tutiùs nimirum in ciuium ſanguine
peccatur, quàm in bonis: vitam tollit è
mortui, vt eſt in proverbio, non mor-
dent; bona vero ſi auferat, non poteſt
ita omnia tollere, vt gladium non relin-
quat; animam certè iratam & vindictæ
cupidam ſuperſtitem eſſe patietur. Sed
tamen eſt difficilis defenſionis ratio:
quid enim ei facias, qui dicit, præcipiti
auiditate ferebatur? non ferebatur, in-
quies? nihil agis: habet enim accuſa-
tor iſte multis nominibus prærogati-
uam. Reſtat igitur, vt ſingula prædan-
di exempla, vt ſunt hic, illic, expoſita
excutiamus, eaque omnia vel culpa vel
fide carere doceamus. Sunt, inquit,
» in vniuerſo Romano Imperio com-
plures

« plures Chriſtianorum ſectæ quas vul
« go hæreſes vocant: Manichæorum
" Samaritarum, Arianorum, & complu-
" riū aliorum. Erant quidem, Alemanne, fateor, & illud addo, eas fuiſſe, quæ non in eccleſiæ ritibus, non in præceptis hominum, non in decretis Pontificum, vel tollendis vel minuendis, laborabant: ſed quæ Ieſu Chriſti perſonam, hoc eſt fidei, & ſalutis noſtræ fundamentum, aliæ alijs, ſed omnes nefandis rationibus ſubruere & tollere cogitabant. Sed tamen templa & fana vbique locorum poſſidebant. Illa vero, præſertim quæ Arianorum furori ſeruiebant, auro & argento gemmiſque & pretioſis lapidibus, omni denique diuitiarum & opum genere incredibiliter abundabant Non pigebit Procopij ipſius, hac de re
" verba addere; Non ſenatus, inquit, vni-
" uerſus, nō alius Romani imperij ordo,
" ſiue rerū mobilium copia, ſiue prædi-
" orum & poſſeſſionū amplitudine cum
" delubris illis comparari potuit: Neque mirum; vera enim religio, viatico contenta: falſa non niſi opum & diuitiarum adminiculis ſuſtentatur. Itaque hæc ne-

quitiæ

quitiæ illorum arma, ſecundo ſtatim Imperij ſui anno ſuſtulit Iuſtinianus. Nondum a te Alemanne, quæro, quid tu in hoc præclariſſimo Iuſtiniani facto reprehendendum eſſe putes; tantum illud oſtendere nunc volo, quinam illi fuerunt homines, in quorum fortunas, eum tam præcipiti furore irruiſſe ais: Primùm hij, quos vidimus, Manichæi, Ariani, Samaritæ, & alia fanaticorum nomina: deinde, qui Gentiles, & qui Polythei dicebantur: Tertio verò in loco Sodomitæ: poſtremo Aſtrologi: Iuſtinianus igitur, vt refert Diaconus, aduerſus Gentiles perſequutionem inſtituit: ô magnum Imperij Romani dedecus & flagitium: Ducenti iam & amplius anni expirauerant, ex quo Conſtantinus cognomento Magnus, idolorum Templa clauſerat, & tamen homines ab vnius Dei cultu abhorrentes, non ſolum in Imperij vrbibus, quod non oportuit, ſpiritum ducebant, verum etiam ſummis in repub. dignitatibus & ampliſſimis honoribus fruebantur; id vero non vltrà ferendum eſſe cenſuit Iuſtinianus; quare lege lata, Templa

Ido-

Idolorum vel diruit, vel ad Orthodorum vſus conuertit. Polytheos omnes ab officijs, a magiſtratibus, ab omni ciuili munere & reip. curatione remouit: bona eorum publica eſſe voluit: teſtamenta ad eiuſdem ſacrilegij poſteros valere vetuit: denique vel Idolorum cultum è Romano imperio penitùs tollendum, vel ſibi nec in vita quidem omninò manendum eſſe ſtatuit. Quoniam vero id ei pudendum videbatur, ſi quum Gentiles è repub. ſuſtuliſſet, eos in rep. Chriſtianos viuere pateretur, qui Gentilium mores ſequerentur, ideo, Sodomitas, non ſolum, lege lata, bonorum iactura, verũ etiam extraordinẽ pudendorum truncatione, ſæpe coercebat: adeo quidem, vt nec Alexandro cuidam Dioſpoleos Thraciæ ciuitatis Epiſcopo, in illo ſcelere deprehenſo pepercerit: præcone publicè proclamante, Quot-
„ quot eſtis Epiſcopi, ſacrum ordinem
„ dehoneſtare nolite. Quod mihi quidem ea Minerua feciſſe videtur, ingenioſiſſimus Imperator, vt illũ potiſſimum populum, tam graui exemplo a tanto flagitio deterreret, qui præter alios iam

le ab Orphei vſque temporibus tam
læ libidini addictiſſima fuiſſe memo-
ır: Orphei, inquam; cuius ab illius
itis mulieribus, cæſi, & in Hebrum
iecti, ea cauſa, apud poetam fuiſſe
litur, quod Thracum populis, reli-
mulierum conſuetudine, in maſcu-
concubitus declinandi, exemplum
autor fuerat: Denique Aſtrologos,
nis ademptis exulare iuſſit: genus
minum infidum: quique geneſes non
culando ſed mentiendo, maxima-
n ſemper turbarum, in ſingulis pæ-
Imperij familijs cauſa fuerant; ſiue
im vxor peſſima immariti, ſiue filius
probus in parentis annos inquirere
lebat, non alios quos conſulerent
am Aſtrologos habuerunt. Nunc igi-
ex te Alemanne, quæro, quid tu in
js tam egregijs facinoribus reprehen-
ndum eſſe putas? mihi enim profe-
o eiuſmodi eſſe videntur vt ingentem
plane Herculeum virum indicent:
enim altero, ab Imperio accepto,
ıno quatuor teterrimas peſtes ex eo
ſtulit: nec ſibi cum eiuſmodi mon-
ris ſub eodem quaſi tecto diutius

per-

Digitized by Google

pernoctandum eſſe ſtatuit: vbi igi-
„ tur vitium? quòd maximarum,
„ inquis, turbarum in Rep. cau-
ſa fuit: nihil hercle mirum; Non
enim ipſe, vt opinor, Æſculapius,
noxios & peſtilentes humores, è cor-
pore vnquam expulit, ſine graui totius
corporis turbatione; ſed ideò medica-
mentorum moleſtias patimur, vt pro-
periore valetudine poſtea perfruamur.
Sed quænam illæ excitatæ tubæ? fugæ,
„ inquis, & lamentationes; Memini
„ quidem Alemanne, Simplicium,
Philoſophorum ſuo tempore Princi-
pem, & meo quidem iudicio cum
ipſo Auerroe comparandum, ſed a
chriſtiana religione abhorrentem, edi-
cto contra Polytheos promulgato, cum
ſodalium ſuorum turba, ſtatim ad
Perſas aufugiſſe: & Iuſtinianum Ca-
bade, hoc eſt, aurum plumbo
commutaſſe. Reſp. verò Romana quid
inde quæſo detrimenti cœpit? nihil;
idem igitur ſi Ariani & Manichæi, ſi
Ethnici & Pagani, ſi Sodamitæ deni-
que & Aſtrologi factitaſsent, ea tamen
iactura fuiſſet, quæ remp. ſemper di-
tiorem

tiorem reddidiſſet: ciuium fortaſſe & hominum frequentia remp. carituram fuiſſe dices: imò nemo re illa caret, quam nec habere vellet; quamquam qui in illa vel mentis cæcitate, vel corporis turpitudine verſabantur, non illi mihi vel hominum, vel ciuium, ſed hoſtium, vel potiùs belluarum numero habendi fuiſſe videntur. Sed eſto: multi fugiebant; at multi viciſsim, pœnarum metu, rem ad mentem reuocabant: & ad meliorem frugem reuerſi, ſummis poſteà dignitatibus & opibus in Rep. fruebantur: de Paganis loquor: ex quo numero fuiſſe dicitur Tribonianus, qui cum Theophilo & Dorotheo, omne ius Romanum ex veterum prudentum libris, in vnum corpus ea, qua nunc extat pulchritudine, digeſsiſſe noſcitur: ex quo digeſta appellantur, vir quidem, ipſius Procopij elogio, moribus, omniumque artium diſciplina, nulli ſecundus: natura, mitis & humanus, iuris verò peritia longè omnibus præferendus: is igitur primis Iuſtiniani temporibus, Polytheus fuiſſe

dicitur

dicitur. Dixi enim ante, & ſæpiùs forталſe dicetur, quo tempore ad Imperij habenas tractandas acceſsit Iuſtinianus, illud genus præcipuam quamque Reip. curationem & dignitatem occupaſse. Veruntamen Tribonianum poſtea, non ſolum toto animo ad Chriſti fidem rediјſſe, verùm etiam eandem omni ſtudio promouiſſe, ex eo conſtat, quod ſanctiſsimus Imperator, in Nouellis ſuis Conſtitutionibus, (quibus res chriſtiana tota ferè continetur) exarandis, eius potiſsimùm non ſolùm manu, verum etiam mente vtebatur. Poſſem eadem de Thoma, magiſtro officiorum, de Ioanne Cappadoce, de Phocá magiſtro militum, de ipſo denique Beliſsario affirmare; ex quo profectò apparet, illum Imperatoris zelum ad incredibile chriſtianæ religionis incrementum exarſiſse: nihil minus, inquit Procopius: nam aſſumpto Chriſtiani nominis titulo, mente ipſa veterem Deorum cultum ſectabantur. Quid? an non intelligis, Alemanne, Procopium tuum ſub alieno nomine ſuam hoc loco

cauſam

ſam agere? Etenim cuius ille fuit
gionis, ante dixi. Sed tamen niſi
riſtianamſimu laſſet, nunquam ad tã
elſum in Repub. dignitatis locum,
pſiſſet: nec dubito profectò, quin
ılti illa tempeſtate erant, qui eodem
n Procopio ſimulationis vitio labo-
ant, ſed tamen illâ Iuſtiniani per-
erantia, & in dijs gentium eradi-
ıdis pernicacia, euictum eſt, vt poſt
ſtiniani ætatem, ne nomen quidem
gani in Romano Imperio vſquam
ditum reperiatur. vellem quidem &
reliquis idem affirmare poſſem: illud
rtè conſtat, proximo inde ſæculo
ras illas hæreſes penitus obmutuiſſe:
ſtrologos nuſquam gentium fidem
ſtea recuperaſſe. Tertium verò ge-
ıs ita apud cœteros chriſtiani or-
s populos fuiſſe extinctum, vt iam
u ne Romæ quidem, pudore carere
ıſtimetur. Quapropter in Iuſtiniano
on ſolum incredibilem animi virtu-
m & pietatem, verum etiam im-
ıortale quoddam Dei opti. max. be-
eficium & fælicitatem admirari licet:
Quid enim ei diuinius contigiſſe po-
tuit,

tuit, quam vt res ab eo, ad humani generis ordinem & ſalutem piè excogitatæ, & prudenter geſtæ, ad tam longi ſæculi vtilitatem & commodum pertingerent? ſi igitur ex hijs cauſis priuatorum quorundam fortunas aut ærario aut fiſco vindicatas fuiſse contendis, non nego: ſi verum vis, factum illud ſummis laudibus efferendum eſse dico: & rurſus quæro, quid tu, Alemanne, in eo reprehendendum eſse putes? Credo, quòd, vt ait Procopius, nullo iuris pretextu id fecit. Quid verò hoc eſt aliud, quam, ſecundùm Platonem, vltima potio ante ebrietatem? quantulum, inquam, hoc in viro docto diſtat ab inſania? Quorſum enim tituli illi qui in iure reperiuntur, de hæreticis? de Paganis? de Aſtrologis? denique de ijs qui luxuriantur contra naturam? an non omnes pœnam hanc delinquentibus denunciant? Quid? quòd nullius vnquam bona inuaſit, niſi datis prius tribus ad reſipiſcendum ex lege menſibus; ne ipſos quidem Sodomitas, vllam vel corporis vel fortunarum pœnam pati

voluit

voluit, ſi infra ſtatutum a lege tempus, puſionibus abiectis, ad naturalis deſiderij modum rediiſsent. ô continentem & moderati animi Principem, qui tantam criminis fœditatem, quoniam conſuetudine & ſæculi vitio inualuerat, edicto prius cauendam putabat, quam lege puniendam. Quid? quiſquam nè eum iſta, in vindicandis ſceleribus pigritia vſurum fuiſse putet, ſi præcipiti auiditate ad fortunas hominum diripiendas feſtinaſset, non regio planè ſtudio ad vitia è Rep. tollenda propendiſset? Verùm Iudæos, quòd tempore Paſchæ agnina veſcerentur, pecunijs multabat: amentiſsimus Procopius! qui ſanctiſsima & ſapientiſsima Imperatoris conſilia prauis verbis, ad cogitationes & res, non ſolum iniquas verum etiam ridiculas detorquet. Quaſi verò Iuſtiniano cura de agnis? quaſi id egiſset, vt Iudæi in Paſchate, ſuillam potiùs quam agninam eſsent? An verò quiſquam tam ſtupidus, vt non ſentiat, tam demens vt non recognoſcat Imperatorem id vnum ob oculos habuiſse, vt Iudeorum, qui

habuiſſe, vt Iudæorum, qui legem Chriſti aduentu antiquatam, colere perſtarent, peruerſitatem corrigeret, & emendaret: niſi tu fortaſſe Alemanne eos agnum Paſchalem immolando, æterno illi Chriſti ſacrificio, iniuriam, aut nullam, aut ita leuem, vt tolerari debuerit, feciſſe arbitraris. Quocirca, ſiue cauſam, ſiue modum ſpectamus, non ſunt iſtæ rapinæ dicendæ, ſed pœnæ, quas ab eo ſic inflictas videmus, facile quiuis vt intelligat, eum id agendo, non fiſci priuati, ſed fidei publicæ rationem habuiſſe.

Tempus nunc Alemanne, flagitare videtur vt ad ea deſcendam, quæ veram rapinam & crimen continent: Duo autem ſunt, in quibus, ſi deliquiſſe reperiatur Iuſtinianus, eum è bonorum Principum albo delendum eſſe fatear neceſſe eſt. Quorum primum illud eſt, " quod Sacerdotes Chriſtianos nō aliter " quam Gentiles & Iudæos deprædatus ſit: Chriſti igitur Sacerdotes Iuſtinianus expilabat? quos? quibus artibus? quo ſcelerum miniſtro? Iſta vero omnia infrà, inquit, dicturi ſumus: omnem

nem igitur Anecdotorum paginam reuoluo: idem promiſſum, bis, terque repetitum: nuſquam exolutum reperio. Tu Alemanne, quid? qua parte, Procopium tuum dictum iſtud impleſſe oſtendis? nuſquàm, inquis; nuſquam? planè nuſquam: atqui benè eſt, quod cum Iuſtinianum infandi ſacrilegij accuſare vellet, neminem, in quem admiſſum ſit, nominare potuit: imò potuit, inquis; itane vero? cur igitur non
" fecit? neſcio, inquis, an obliuione
" promiſſum non fecit. Bellus es, & lapidi capitis patronus, Alemanne, qui Procopium tuum, tam ſtolidè & impiè in accuſatione ruentem, iſto potiſsimùm modo ſubleuandum eſſe putauiſti. Quæ nemo negata eſſe vellet, ea effuſa verborum multitudine probauit, quod vnum probatione indigebat, id per obliuionem præteritum fuiſſe ais. Patere me, quæſo, iſto modo Iuſtinianum defendere: iam Demoſthene a mortuis reuocaco, ad hāc cauſam, opus non eſſe ſenties. Sed vt mihi videtur, Alemanne, erat apud nos non ita pridem, Equiuendulus quidam, Proco-

pij tui, cum cœteris virtutibus, tum iſta, quam narras memoriæ fœlicitate, non abſimilis: Non longa eſt fabula: is equum grandi pretio in foro vendiderat: numerato pretio, cæpit emptor, vt mos eſt, de vitijs equi interrogare; & ille, duo, inquit, habet; alterum, quod nimis ſit in curſu velox, alterum, quod ciceris & auenarum plus iuſto edax: lætus abit emptor, quod nihil de equo inaudiſſet, niſi quod eum commendatiorem redderet: paulò inde digreſſo, equus in foueam, effuſo equite, præcipitatur: mirari emptor quid rei eſſet: re conſiderata, equum quauis talpa cæciorem eſſe reperit; ad Equipolā reddit; &, proh fidem, clamat iſte verò equus cæcus eſt: certè, inquit, Equiuendulus, & quidem, ni fallor, vtrouis oculo: aîn peſsime: cur igitur iſtud vitium mihi non dixiſſes? fecisſem vtique, reſpondit: ſed alia cogitanti, iſtud mihi è memoria penitus exciderat. Itaque quod venditori iſti in equi ſui vitijs prodendis contigit, id ipſum Procopio tuo in Iuſtiniani criminibus probandis accidit: infinitam Sacerdotū

Ortho-

Orthodoxorum multitudinem fortunis ſuis nullo iuris prætextu ſpoliatos liquidiſsimè probaſſet, niſi id ei è memoria, vt Vulcanus è Cœlo, excidiſſet. Sed tamen hinc, vt opinor, intelligi vis, Alemanne, quantus hic & quam præclarus hiſtoricus euaſiſser, ſi quantum mentiendo valebat, tantum etiam memoria valuiſſet. Verum eſto: nihil hîc, fallente memoria, dixit Procopius: Tu Alemanne, quid dicturum fuiſſe putas, ſi meminiſſet? nihil, inquis, poſsum pro comperto: ſed quantum conijcio, dicturus erat, de ijs quæ
« paſsi ſunt, Sacerdotes Chriſtiani
« ob tria capita: Equidem Alemanne, ea es elegantia, vt ſi quid tibi placere videam, illud mihi nō facilè diſplicere patiar. Sed tamē ſi hoc in loco, aut cor, aut caput habuiſses, nunquam tu iſta de tribus capitibus ſomniaſses. Primùm enim, nullam vſquam de Tribus Capitibus mentionē intulit Procopius: Itaq; nō magis de hijs, quā de tribus Cerberi, vel Gerionis capitibus dicturus fuiſse, exiſtmari debuit; Deinde, ſi maximè dicturus fuiſset, eòne te amentiæ adegit,
 tuus

tuus aduerſus Iuſtinianũ liuor vt Facundum Hermienſem, vt Liberatum, vt Victorem Tunnenſem, vt Epiſcopos Africanos, & alios, quotquot erant, illorum Capitum defenſores, tanquam Orthodoxos laudare non vereare? Nolo ego in Theologorum meſsem falcem mittere; nolo, quæ intra ſacerdotij velum poſita ſunt, curioſius ſpeculari; Sed quæ in hiſtorijs memoriæ hominum commendantur, ea tam mihi nota eſse poſsunt quam tibi. Itaque de iſtis tecum mihi ſit hoc tempore controuerſia. Sacroſancta quatuor Concilia ſuis legibus ita communiuerat Iuſtinianus, vt nemo iam illis, pœnarum metu, apertè auderet aduerſari. Propterea homines rerum, vt ita loquar, nouarum, in eccleſia cupidi, nouam quandam orthodoxæ fidei impugnandæ rationem excogitant. Theodori cuiuſdam Mopſueſteni Theodoriti Cyriani, & Ibæ Edeſseni Epiſcoporum ſcripta, pro orthodoxis ſcilicet recipienda eſse vehementiſsimè contendunt: ſed ne contra Concilia pugnare viderentur ſcripta illa a Chalcedonenſi

Conci-

Concilio prius recepta & approbata fuiſe mentiuntur; eodem plane modo, quo ſi quis inter nos, ſe quidem Religionem orthodoxam amplecti, Romanam aſpernari, diceret; Bellarmini tamen Valentiani, & Stapletoni ſcripta pro veris & legitimis ſuſcipienda, & communi Synodorum noſtrarum calculo confirmata eſſe contenderet.

Iſtam verò illorum hominũ amentiam, Concilium generale quintũ, a Iuſtiniano conuocatum, cùm & trium illorum Epiſcoporum ſcripta, tanquam tria capitula in medium protuliſſent, & quid in illis contra Deum, contra fidem, contra Concilia & eccleſiam, ex diametro pugnaret apertiſsimè declaraſſent, Decreto ſuo ſeueriſsimè damnabant. Et hæc eſt illa quæ trium Capitulorum damnatio, apud ſcriptores vſurpatur; Nũc igitur ad te Alemãne venio, & a te peto, vt etiã atq; etiã apud te cogites, quid velis, quo ſpectes, quam rem moliaris; Hermienſis, Liberatus, Victor Tunnenſis, & alij, propterea quod Theodori, Theodoriti & Ibæ ſcripta defendiſſent, eiuſdem cum illis ſceleris &

blaſphemiæ rei iudicati ſunt; tu qui iſtos illorum defenſores defendis, qui horum teſtimonijs aduerſus Iuſtinianum, & libenter & frequenter vteris, qui ſæculare Imperatoris brachium a generali Concilio, contra illorum contumaciam inuocatum, tanquam Neronis & Diocletiani dextram crudelitatis & ſanguinis accuſas, an non te eodem cum illis ſcelere implicatum eſſe ſentis? Tu cum Hermienſi, Liberato, & Tunnenſi ſentis, illi cum Theodoro, Theodorito & Iba ſenſerunt; Denique iſti cum Neſtorio & Ario & Eutychete ſenſiſſe, Generalis Concilij Decreto, comprobantur: ita tu, dum futili coniecturarum tuarum telo, Iuſtinianum inſequeris, horreo dicere, in quam profundum hæreſium & blaſphemiarum pelagus præcipitaris.

Sed nolo ego te antiquarum hæreſium ſuſpitione onerare: illud modò percontari libet, vtrum tu trium Capitulorum defenſores, hæreticos an orthodoxos fuiſſe putas? nam ſi orthodoxos, vide quo incidas: refert enim Victor ille Tunnenſis, Vigilium veſtrum, Ponti-

Pontificem Romanum a tota eccleſia Africana, hoc eſt, a trium Capitulorum defenſoribus ſynodaliter fuiſſe condemnatum. Itaque ſi illi orthodoxi erant, efficitur quod hæreticus fuerat Vigilius. Iuris enim definitione, hæreticus eſt, quiſquis orthodoxus non eſt. Scilicet,inquies, præclara res eſt, Paſtorem ab ouibus condemnari. Age ſis, ipſum Vigilium a Vigilio damnatum fuiſſe doceo. Narrat enim Caniſius, in in ſua ad Tunnenſem præfatione,illum aliquando, pro tribus Capitulis Apologeticum edidiſſe: ab Imperatore verò admonitum ſententiam commutaſſe. quid? vtrum orthodoxam cum hæretica commutauit, an contra, hæreticam cum Orthodoxa? reſtat igitur hæreticos fuiſſe trium Capitulorum defenſores. Facilè autem patior, Alemanne, Iuſtinianum noſtrum hæreticorum flagellum appellari. Sed illud nunc accedit incommodi, quòd ſiue illi hæretici erant, ſiue Orthodoxi, tua illa in conijciendo ſolertia, nihil ad cauſam faciat: Quid enim hoc ad bonorum direptionem? minatur Procopius

dicitur. Dixi enim ante, & ſæpiùs for-taſſe dicetur, quo tempore ad Imperij habenas tractandas acceſsit Iuſtinia-nus, illud genus præcipuam quam-que Reip. curationem & dignitatem occupaſse. Veruntamen Tribonianum poſtea, non ſolum toto animo ad Chriſti fidem redijſſe, verum etiam eandem omni ſtudio promouiſſe, ex eo conſtat, quod ſanctiſsimus Impera-tor, in Nouellis ſuis Conſtitutioni-bus, (quibus res chriſtiana tota ferè continetur) exarandis, eius potiſsi-mùm non ſolùm manu, verum etiam mente vtebatur. Poſſem eadem de Thoma, magiſtro officiorum, de Ioanne Cappadoce, de Phoca magiſtro militum, de ipſo denique Beliſsario affirmare; ex quo profectò apparet, illum Imperatoris zelum ad incredibi-le chriſtianæ religionis incrementum exarſiſse: nihil minùs, inquit Pro-
« copius: nam aſſumpto Chriſtiani
« nominis titulo, mente ipſa veterem
« Deorum cultum ſectabantur. Quid? an non intelligis, Alemanne, Procopium tuum ſub alieno nomine ſuam hoc loco

caulſam

ıſam agere? Etenim cuius ille fuit
igionis, ante dixi. Sed tamen niſi
uiſtianamſimu laſſet, nunquam ad tã
:elſum in Repub. dignitatis locum,
pſiſſet: nec dubito profectò, quin
ılti illa tempeſtate erant, qui eodem
m Procopio ſimulationis vitio labo-
ant, ſed tamen illa Iuſtiniani per-
ıerantia, & in dijs gentium eradi-
ıdis pernicacia, euictum eſt, vt poſt
ſtiniani ætatem, ne nomen quidem
gani in Romano Imperio vſquam
ditum reperiatur. vellem quidem &
reliquis idem affirmare poſſem: illud
rtè conſtat, proximo inde ſæculo
ras illas hæreſes penitus obmutuiſſe:
ſtrologos nuſquam gentium fidem
ıſtea recuperaſſe. Tertium verò ge-
ıs ita apud cœteros chriſtiani or-
s populos fuiſſe extinctum, vt iam-
u ne Romæ quidem, pudore carere
ıiſtimetur. Quapropter in Iuſtiniano
ɔn ſolum incredibilem animi virtu-
m & pietatem, verum etiam im-
ortale quoddam Dei opti. max. be-
ɛficium & fælicitatem admirari licet:
Quid enim ei diuinius contigiſſe po-
tuit,

tuit, quam vt res ab eo, ad humani generis ordinem & ſalutem piè excogitatæ, & prudenter geſtæ, ad tam longi ſæculi vtilitatem & commodum pertingerent? ſi igitur ex hijs cauſis priuatorum quorundam fortunas aut ærario aut fiſco vindicatas fuiſse contendis, non nego: ſi verum vis, factum illud ſummis laudibus efferendum eſse dico: & rurſus quæro, quid tu, Alemanne, in eo reprehendendum eſse putes? Credo, quòd, vt ait Procopius, nullo iuris pretextu id fecit. Quid verò hoc eſt aliud, quam, ſecundùm Platonem, vltima potio ante ebrietatem? quantulum, inquam, hoc in viro docto diſtat ab inſania? Quorſum enim tituli illi qui in iure reperiuntur, de hæreticis? de Paganis? de Aſtrologis? denique de ijs qui luxuriantur contra naturam? an non omnes pœnam hanc delinquentibus denunciant? Quid? quòd nullius vnquam bona inuaſit, niſi datis prius tribus ad reſipiſcendum ex lege menſibus; ne ipſos quidem Sodomitas, vllam vel corporis vel fortunarum pœnam pati

voluit

voluit, ſi infra ſtatutum a lege tempus, puſionibus abiectis, ad naturalis deſiderij modum rediïſsent. ô continentem & moderati animi Principem, qui tantam criminis fœditatem, quoniam conſuetudine & ſæculi vitio inualuerat, edicto priùs cauendam putabat, quam lege puniendam. Quid? quiſquam nè eum iſta, in vindicandis ſceleribus pigritia vſurum fuiſse putet, ſi præcipiti auiditate ad fortunas hominum diripiendas feſtinaſset, non regio planè ſtudio ad vitia è Rep. tollenda propen-
" diſset? Verùm Iudæos, quòd tempore
" Paſchæ agnina veſcerentur, pecunijs
" multabat: amentiſsimus Procopius! qui ſanctiſsima & ſapientiſsima Imperatoris conſilia prauis verbis, ad cogitationes & res, non ſolum iniquas verum etiam ridiculas detorquet. Quaſi verò Iuſtiniano cura de agnis? quaſi id egiſset, vt Iudæi in Paſchate, ſuillam potiùs quam agninam eſsent? An verò quiſquam tam ſtupidus, vt non ſentiat, tam demens vt non recognoſcat Imperatorem id vnum ob oculos habuiſse, vt Iudeorum, qui

nem igitur Anecdotorum paginam reuoluo: idem promiſſum, bis, terque repetitum: nuſquam exolutum reperio. Tu Alemanne, quid? qua parte, Procopium tuum dictum iſtud impleſſe oſtendis? nuſquàm, inquis; nuſquam? planè nuſquam: atqui benè eſt, quod cum Iuſtinianum infandi ſacrilegij accuſare vellet, neminem, in quem admiſſum ſit, nominare potuit: imò potuit, inquis; itane vero? cur igitur non
" fecit? neſcio, inquis, an obliuione
" promiſſum non fecit. Bellus es, & lapidi capitis patronus, Alemanne, qui Procopium tuum, tam ſtolidè & impiè in accuſatione ruentem, iſto potiſsimùm modo ſubleuandum eſſe putauiſti. Quæ nemo negata eſſe vellet, ea effuſa verborum multitudine probauit, quod vnum probatione indigebat, id per obliuionem præteritum fuiſſe ais. Patere me, quæſo, iſto modo Iuſtinianum defendere: iam Demoſthene a mortuis reuocaco, ad hāc cauſam, opus non eſſe ſenties. Sed vt mihi videtur, Alemanne, erat apud nos non ita pridem, Equiuendulus quidam, Proco-

pij tui, cum cœteris virtutibus, tum iſta, quam narras memoriæ fœlicitate, non abſimilis: Non longa eſt fabula: is equum grandi pretio in foro vendiderat: numerato pretio, cæpit emptor, vt mos eſt, de vitijs equi interrogare; & ille, duo, inquit, habet; alterum, quod nimis ſit in curſu velox, alterum, quod ciceris & auenarum plus iuſto edax: lætus abit emptor, quod nihil de equo inaudiſſet, niſi quod eum commendatiorem redderet: paulò inde digreſſo, equus in foueam, effuſo equite, præcipitatur: mirari emptor quid rei eſſet: re conſiderata, equum quauis talpa cæciorem eſſe reperit; ad Equipolā reddit; &, proh fidem, clamat iſte verò equus cæcus eſt: certè, inquit, Equiuendulus, & quidem, ni fallor, vtrouis oculo: aîn peſsime: cur igitur iſtud vitium mihi non dixiſſes? fecisſem vtique, reſpondit: ſed alia cogitanti, iſtud mihi è memoria penitus exciderat. Itaque quod venditori iſti in equi ſui vitijs prodendis contigit, id ipſum Procopio tuo in Iuſtiniani criminibus probandis accidit: infinitam Sacerdotū

Ortho-

Orthodoxorum multitudinem fortunis ſuis nullo iuris prætextu ſpoliatos liquidiſsimè probaſſet, niſi id ei è memoria, vt Vulcanus è Cœlo, excidiſſet. Sed tamen hinc, vt opinor, intelligis, Alemanne, quantus hic & quam præclarus hiſtoricus euaſiſset, ſi quantum mentiendo valebat, tantum etiam memoria valuiſſet. Verum eſto: nihil hîc, fallente memoria, dixit Procopius: Tu Alemanne, quid dicturum fuiſſe putas, ſi meminiſſet? nihil, inquis, poſsum pro comperto: ſed quantum coniicio, dicturus erat, de ijs quæ
« paſsi ſunt, Sacerdotes Chriſtiani
« ob tria capita: Equidem Alemanne, ea es elegantia, vt ſi quid tibi placere videam, illud mihi nō facilè diſplicere patiar. Sed tamē ſi hoc in loco, aut cor, aut caput habuiſses, nunquam tu iſta de tribus capitibus ſomniaſses. Primùm enim, nullam vſquam de Tribus Capitibus mentionē intulit Procopius: Itaq; nō magis de hijs, quā de tribus Cerberi, vel Gerionis capitibus dicturus fuiſse, exiſtmari debuit; Deinde, ſi maximè dicturus fuiſset, eòne te amentiæ adegit,

tuus aduerſus Iuſtinianũ liuor vt Facundum Hermienſem, vt Liberatum, vt Victorem Tunnenſem, vt Epiſcopos Africanos, & alios, quotquot erant, illorum Capitum defenſores, tanquam Orthodoxos laudare non vereare? Nolo ego in Theologorum meſsem falcem mittere; nolo, quæ intra ſacerdotij velum poſita ſunt, curioſius ſpeculari; Sed quæ in hiſtorijs memoriæ hominum commendantur, ea tam mihi nota eſſe poſſunt quam tibi. Itaque de iſtis tecum mihi ſit hoc tempore controuerſia. Sacroſancta quatuor Concilia ſuis legibus ita communiuerat Iuſtinianus, vt nemo iam illis, pœnarum metu, apertè auderet aduerſari. Propterea homines rerum, vt ita loquar, nouarum, in eccleſia cupidi, nouam quandam orthodoxæ fidei impugnandæ rationem excogitant. Theodori cuiuſdam Mopſueſteni Theodoriti Cyriani, & Ibæ Edeſseni Epiſcoporum ſcripta, pro orthodoxis ſcilicet recipienda eſſe vehementiſsimè contendunt: ſed ne contra Concilia pugnare viderentur ſcripta illa a Chalcedonenſ

Conci

Concilio prius recepta & approbata fuiſe mentiuntur; eodem planè modo, quo ſi quis inter nos, ſe quidem Religionem orthodoxam amplecti, Romanam aſpernari, diceret; Bellarmini tamen Valentiani, & Stapletoni ſcripta pro veris & legitimis ſuſcipienda, & communi Synodorum noſtrarum calculo confirmata eſſe contenderet.

Iſtam verò illorum hominũ amentiam, Concilium generale quintũ, a Iuſtiniano conuocatum, cum & trium illorum Epiſcoporum ſcripta, tanquam tria capitula in medium protuliſſent, & quid in illis contra Deum, contra fidem, contra Concilia & eccleſiam, ex diametro pugnaret apertiſsimè declaraſſent, Decreto ſuo ſeueriſsimè damnabant. Et hæc eſt illa quæ trium Capitulorum damnatio, apud ſcriptores vſurpatur; Nũc igitur ad te Alemãne venio, & a te peto, vt etiã atq; etiã apud te cogites, quid velis, quo ſpectes, quam rem moliaris; Hermienſis, Liberatus, Victor Tunnenſis, & alij, propterea quod Theodori, Theodoriti & Ibæ ſcripta defendiſſent, eiuſdem cum illis ſceleris &

blaſphemiæ rei iudicati ſunt; tu qui iſtos illorum defenſores defendis, qui horum teſtimonijs aduerſus Iuſtinianum, & libenter & frequenter vteris, qui ſæculare Imperatoris brachium a generali Concilio, contra illorum contumaciam inuocatum, tanquam Neronis & Diocletiani dextram crudelitatis & ſanguinis accuſas, an non te eodem cum illis ſcelere implicatum eſse ſentis? Tu cum Hermienſi, Liberato, & Tunnenſi ſentis, illi cum Theodoro, Theodorito & Iba ſenſerunt; Denique iſti cum Neſtorio & Ario & Eutychete ſenſiſse, Generalis Concilij Decreto, comprobantur: ita tu, dum futili coniecturarum tuarum telo, Iuſtinianum inſequeris, horreo dicere, in quam profundum hæreſium & blaſphemiarum pelagus præcipitaris.

Sed nolo ego te antiquarum hæreſium ſuſpitione onerare: illud modò percontari libet, vtrum tu trium Capitulorum defenſores, hæreticos an orthodoxos fuiſse putas? nam ſi orthodoxos, vide quo incidas: refert enim Victor ille Tunnenſis, Vigilium veſtrum, Ponti-

Pontificem Romanum a tota eccleſia Africana, hoc eſt, a trium Capitulorum defenſoribus ſynodaliter fuiſse condemnatum. Itaque ſi illi orthodoxi erant, efficitur quod hæreticus fuerat Vigilius. Iuris enim definitione, hæreticus eſt, quiſquis orthodoxus non eſt. Scilicet,inquies, præclara res eſt, Paſtorem ab ouibus condemnari. Age ſis, ipſum Vigilium a Vigilio damnatum fuiſse doceo. Narrat enim Caniſius, in in ſua ad Tunnenſem præfatione,illum aliquando, pro tribus Capitulis Apologeticum edidiſse: ab Imperatore verò admonitum ſententiam commutaſſe. quid? vtrum orthodoxam cum hæretica commutauit, an contra, hæreticam cum Orthodoxa? reſtat igitur hæreticos fuiſse trium Capitulorum defenſores. Facilè autem patior, Alemanne, Iuſtinianum noſtrum hæreticorum flagellum appellari. Sed illud nunc accedit incommodi, quòd ſiue illi hæretici erant, ſiue Orthodoxi, tua illa in conijciendo ſolertia, nihil ad cauſam faciat: Quid enim hoc ad bonorum direptionem? minatur Proco-

pius ſe de rapinis in Sacerdotes orthodoxos admiſſis dicturum; ſed ille irritæ cecidere minæ; tu de tribus Capitibus, ſi meminiſſet, dicturum fuiſſe augurarìs. Quid? an ob tria Capitula infortunas cuiuſquam involabat Iuſtinianus? narrant quidem Liberatus & Tunnenſis, cum ex illorum Capitulorum cauſa, alios a ſedibus ſuis depuliſſe, alios, vt eorum aduerſus Concilij Decretum contumaciàm frangeret, cuſtodiæ mancipaſse: ſed quis vnquam ex Sacerdotum bonis ſiliquam eum attigiſſe refert? Nemo. Quid igitur eſt? Procopium apud te defendere ſtatuiſti: quare ne ille aut imprudens aut improbus videretur, tu ipſe vis, & ſi alia re nulla, ſaltem vel erubeſcendo, vel ſine rubore pudore digna faciendo, gratiam promereri.

Supereſt nunc vt ad alterum rapinæ crimen reſpondeam; eſt autem illud de falſatis ab eo teſtamentis: Quæ quidem, res mihi flagitium, longè omnium turpiſsimum continere videtur, & ſacrilegio proximum. Quid enim turpius quam falſas teſtamentorum tabulas conficere,

ficere, & vltimas noſtras voluntates, hoc eſt, animorum noſtrorum effigies, ad poſteros ementiri? præſertim in Principe; cuius fide & religione, huius generis facinora, tanquam teterima monſtra, è rep. non pelli ſed tolli debuerunt. Maximè vero omnium id in Iuſtiniano impium & facinoroſum exiſtimari debuit; quoniam is teſtamenta, & Codicillos, conſultiſſima quadam lege tanquam tutiſſimo præſidio ita circumſepſit, vt nullus ad ea, vel corrumpenda, vel ſubmittenda, impiorum fraudibus aditus iam relictus videretur. Quid autem attinuit, alios ab hoc ſcelere prohibuiſſe, ſi ipſe in defunctorum teſtamenta, vel irrepere vel irruere non verebatur? Quamuis igitur me non latet, nihil tale de tam ſacro Principe credi oportere, niſi quod vel certiſſimis indicijs, vel autoris fide conſtet, non verebor tamen eum falſarium & hæredipetam confiteri, niſi Procopium iſtum, inter accuſandum ipſum ſe ſuis rationibus, tanquam compedibus implicare, & conſtringere oſtendero. Duo igitur ſunt huius in eo ſceleris exempla; quorum

rum, alterum in Zenonem, alterum in Io. Baſilium admiſſum fuiſſe fingitur: Primùm Zenonis cauſa, cuiuſmodi ſit, cognoſcite; de inde ad Baſilij veniemus.
„ Zenonem, inquit, virum Senatori-
„ um Iuſtinianus Ægypti Præſidem ex
„ induſtria deſignatum in Prouinciam
„ dimiſerat: Nauigio iam pretioſiſſi-
„ mis opibus onuſto, diſceſſum ille du-
„ cebat indies, immanemquè argenti
„ vim, aurea vaſa, gemmis, ſmaragdis,
„ magniq; pretij lapillis diſtincta in
„ nauem conuexerat: perſuadet Iuſtini-
„ anus nonnullis, qui Zenoni haberen-
„ tur fidiſſimi, vt auro quamprimum
„ egeſto, ignem in imam nauem injici-
„ ant: Zenoni vero nuncient caſu con-
„ cepta flamma opes perijſſe; non ita
„ multò poſt, Zeno repente moritur:
„ ille ſtatim bonorum poſſeſsionem
„ tanquam hæres adit; productis tabu-
„ lis, quas ab eo minimè confectas fa-
„ ma erat. Cauſa hæc eſt; quæ ſi mihi apud Iudices agenda eſſet, argumento-rum vi & multitudine, nullam in hac tota rei narratione, non dico docti & periti accuſatoris, ſed ne ſani quidem

aut

aut ſobrij hominis veſtigium, reperiri peruicturum me eſſe non dubitarem, eadem eſt enim fingendi, quæ pingendi lex & ratio; aut vera ponenda ſunt, aut veris proxima; iſta autem, a veritate, a rerum vſu, a communi denique ſenſu quam remota? quam auerſa? quam aliena? tantum auri & argenti, tantam pretioſæ ſupellectilis & opum vim è nauigio ad anchoras in portu, in portu, inquam, Conſtantinop. hoc eſt, totius orbis frequentiſſimo auferri, ipſamque nauem ad carinam incendi, iſta vero omnia, adeo clam omnibus, & occultè fieri vt non nauis magiſter, non nautarum, non vectorum, non vigilum, non ſeruorum aliquis factum perſentiſceret? fortaſſe, inquit, ſenſerant; ſed ijdem fidiſsimi, qui bona abſtulerant, Zenoni etiam perſuaſerant, fortuito incendio res in nauigio perijſſe: quid? iſta Zeno a fidiſsimis amicis, an a magiſtro, a remigibus, a ſeruis denique, quos & rerum & nauigij cuſtodiæ præfecerat, interrogaret? an vero Iuſtinianum tam ſcelerata tam dedecoroſa conſilia, non ſolum cum Zenonis amicis, verum etiam cum

rem.-

remigibus & ſeruis communicaſſe exiſtimabimus ? Æſopus iſta ſi audiſſet, inde, vt opinor, confeciſſet fabulam: ſed habeantur ſanè iſta omnia in illarum rerum numero, quæ quanquam poſsint attamen non ſolent fieri: illud quæro, ſi, vt ais, Alemanne, aurum, argentum, vaſa, gemmas, ſupellectilem pretioſam, omnia denique bona vel abſtulerat, vel igne corruperat Iuſtinianus, quid illi, Zenone paulo poſt defuncto, opus erat confictis teſtamenti tabulis ? Nam ſi defuncti bona non niſi adhibita teſtamenti ſpecie poſtea inuadenda erant, quis non videt falſum eſſe, quod dicitur, eum ſuperſtite adhuc Zenone, bona & fortunas eius ſimulato incendio occupaſſe ? niſi forte quis putet eum vaſa quidem Corynthia rapere, Samia verò titulo poſsidere, aurum & argentum, inuito tollere, fagum & Nucem ex voluntate capere, gemmas denique & lapillos, qui in nauigio erant, ſimulato incendio, ſcamna verò & culcitra, quæ in ædibus remanſerant, ex falſo teſtamento quærere voluiſſe. Itaque ex duobus iſtis turpiſsimis criminibus alterum

per

per alterum iugulatum vides; ipſe verò Reus (ea eſt enim nunc Iuſtiniani fortuna) ab omni noxa liberimus eſse demonſtratur! niſi forte in cauſa Baſilij, certius aliquod criminis indicium repe-
" riatur. Erat, inquit, Baſilius apud
" Cabadem Perſarum Regem obſes
" olim a Beliſſario datus: ibi mortem
" obijt: tum Daræ, (vrbis nomen erat
" in Perſidis confinio ſitæ) Præfectus,
" Iohannis ad ſe velut amicum ſcrip-
" tam ſimulat epiſtolam, qua Princi-
" pem, & ſuæ ſubſtantiæ hæredem
" ſcriberet, & eam ſibi eſſe mentem
" extremã; Nihil hic de meo addo, nihil demo, quod facti ſubſtantiam appoſitum immutet: Tu modo, Alemanne, quid hîc criminis reperiſti? ex ſimulato, inquis, teſtamento, hæreditatem adijt: Quid igitur ſi Iuſtinianus ſimulatum ignorabat? concedes, opinor, culpa caruiſſe: ſed non eſt, inquies, veriſimile, ignoraſſe; tam herclè, inquam, quam Præfectum, nullo ſuo commodo, tanto ſe ſcelere obligare voluiſſe. Nemo enim gratuitò fit improbus; aut honorem, aut voluptatem, aut denique lucrum, cum

ob

ob oculos habuiſſe oportebat, qui poſt habita ſua fama, & rectè factorum conſcientia, ad tantum facinus patrandum prouolarit: Itaque Caſsiani Iudices illud olim quærere ſolebant, Cui bono? Præfectus autem iſte, quid habebat? niſi illud fortaſſe in animo, vt Imperatorem, nec mandantem nec ſcientem, alienæ hæreditatis acceſſione ditiorem, ſe vero non ſolum improbum, verum etiam, bonis omnibus, & imprimis Iuſtiniano ipſi odioſum faceret, & execrabilem? Sed defuncti nomen, rem olim a Cicerone narratam, in mentem reuocat: Refert enim, improbum quendam, Lucij Baſilij locupletis hominis falſum teſtamentum è Græcia Romam attuliſſe; quod quò facilius obtineret, nouo aucupij genere, ſcripſit hæredes ſecum, M. Craſſum, & Q. Hortenſium, homines in illa ciuitate, gratia & opibus, eo tempore, potentiſſimos. nec illi, etſi falſum ſuſpicarentur, alienæ nequitiæ munuſculum repudiabant. Rectè, inquies, meminiſti: idem enim fecit hic Iuſtinianus, quod ibi fecerunt, Craſſus & Hortenſius: imò, inquam, idem

idem non fecit Præfectus iſte, in bonis Iohannis Baſilij, quod ille alter, in fortunis Lucij: magnam enim hic veri criminis ſuſpicionem, magnam cauſam & rationem video: ita enim hic illos hæredes ſcripſerat, vt tamen ipſe æqualem cum illis hæreditatis partem caperet: Præfectus vero iſte, quam illius hæreditatis partem ſperare potuit, quam totam ad Imperatorem detuliſſe fingitur? Quocirca iſta criminatio nulla prorſus ratione nititur; oportet igitur iam, vt aut a criminantis fide & autoritate pendeat, aut planè ruat: autoritas vero in Procopio quæ eſſe poteſt? Præclarè enim Plutarchus, in cauſa Alcibiadis: Antiphon, Alcibiadem, ſeruum ſuum nequitèr occidiſſe narrat: ſed non eſt, inquit, ei fides adhibenda, qui ſe contra Alcibiadem ſcribere profitetur. Quanto verò magis hoc in Procopio dicendum? qui non ſolum aduerſus Iuſtinianum ex profeſſo ſcribit, verum etiam adeo furioſè, impudenterquè in eum inuehitur, vt omnes Vatinios, Archilochòs, & Timonas, odij & verborum veneno ſuperet? Vbi eſt, igitur, Alemanne, Iuſti-

Iuſtiniani diuitiarum cupiditas? vbi rapinæ? vbi latrocinia? nam ſi Gentilium, Iudæorum, & Sodomitarum bona, fiſco eius aſſerta fuiſſe clamas, id vero lege lata, iure optimo, ſumma ratione, & incomparabili, non ſolum chriſtianæ religionis, verum etiam humani generis bono geſtum fuiſſe docui: ſin Zenonis & Baſilij fortunas teſtamentario ſcelere occupatus quereris, conuitia illa mera, & mendacia, inconſulto planè Mercurio, a Procopio confićta fuiſſe demonſtraui.

Sed nondum, vt opinor, ad improbitatis Iuſtiniani fundum venimus: graue enim erat peccatum, priuatorum fortunas diripuiſſe: ſed tamen ſic partas opes, ſi ſaltem vtiliter expendiſſet, tolerabilior eius nequitia apparuiſſet: ita prorſus, inquit Procopi-
» us, Sed eas, ilicò, vel in inſana ædi-
» ficia inſumpſit, vel prodegit bar-
» baris: & iſtam quidem, Alemanne criminationem, tacitus præterirem, niſi eam tibi mirificè placere cernerem: primùm igitur de ædificijs videamus: cen-

Centum eum & quinquaginta vrbes vel inſtauraſſe, vel diuerſis fatorum, vijs deſtructas reſtituiſſe, teſtatur Euagrius: horum tu ædificiorum quodnam tandem, inſanum dicendum fuiſſe putas? ſed erat vrbium & ciuitatum ab eo vel extructarum vel reſtauratarum, numerus, templorum & ſacellorum nullus: ſtruxit enim numero in diuerſis orbis partibus infinita: ſed imprimis, Sanctæ Sophiæ Conſtantinopoli eccleſiam, quæ Salomonis templum,& opere & materia longè ſuperaſſe perhibetur. Quid? iſta tu ædificia, an inſana a Procopio appellanda fuiſſe exiſtimaſti? Ad leuiora deſcendo: ingentem, ſenibus, infantulis, leproſis, morbo vel caſu debilitatis, peregrinis, denique pauperibus fouendis & ſuſtentandis ædificiorum numerum extruxit: Tu igitur in iſtis ecquòd, Alemanne, inſaniæ veſtigium reperiſti? Quid vias, (nam & hæ inter Iuſtiniani ædificia, a Procopio recenſentur) diuerſis regionibus, ad ſummam incolentium vtilitatem ſtratas memo-

memorem? Appius olim & Flaminius, ſuam quiſque viam in Italia muniendo, non ſolum gratam, verum etiam æternam ſui nominis memoriam poſteris reliquerunt; ſolus igitur Iuſtinianus, vias ſternendo, non facti gratiam, non nominis memoriam, ſed inſani opinionem reportabit? nihil ego hic de aquarum ductibus, nihil de balneis, nihil de Theatris, ab eo extructis dicam quanquam ex tribus iſtis, primum ad multiplices vitæ vſus, alterum ad ſanitatem corporis, tertium vero genus, ita ad voluptates & oblectamenta animi referebatur, vt & temporum illorum conſuetudini conueniret, & ab inſaniæ ſuſpicione longè abhorreret. At enim
" magnũ pecuniarum pondus, marinis
" ſubſtructionũ molibus demergebat, ad fluctuũ vim amoliendam: at, inquã, erat illud opus, Regium, vtile, neceſſarium: Fluctuum vim amoliebatur? ni feciſſet, Euxini fluctus per Propontidem effuſi, ipſam ſæpe vrbem, magna ſui parte in planitie ſitam vorticibus ſuis inundaſſent. & Zozimus quidem Conſtantinum magnum, hijs ipſis nomi-

minibus accuſabat, quod pecunias publicas, in ſtructuras inutiles expendiſſet: quòd ſui nominis vrbem nimiùm adauxiſſet: quòd ad vrbis incrementum, palos in mare defixiſſet, & iiſdem ædificia impoſuiſſet. Quid igitur? Quiſquamnè tam demens, vt vel illam Zozimi, aduerſus Conſtantinum, vel hanc Procopij contra Iuſtinianum accuſationem auſcultandam eſſe putet? Verùm,
» magnorum, inquit, lapidum obici-
» bus, contra Ponti confluentis impe-
» tum pertinaciùs ire libuit, & quo-
» dam diuitiarū conatu maris violen-
» tiæ, quæſita gloria, obluctari. Nihil vnquam ſic timui, Alemanne, quam ne Iuſtinianum, alterum poſt Xerxem, eo ipſo in loco, Neptunum compedibus vinxiſſe diceret. Quaſi vero maris fluctus, ad humanæ vitæ vſum, vel excludere, vel concludere, nihil aliud eſſet, quam aduerſus naturam bellum gerere? Quid igitur, Alexander ille magnus? qui cum Tyrum, vrbem in inſula ſitam, oppugnaret, aggerem a terra, per profundum mare, aduerſis, non ſolum fluctibus, verum etiam hoſtibus, & in ipſa muni-

munimenta, dies noctesque pugnantibus, ad vrbis mœnia perduxit? Quid Veneti? qui in ipſo mari emporium orbis celeberrimum conſtituerunt. Quid Batani? quibus, ſi vnam noctem a ſolita ſua in aggeribus tuendis & reficiendis induſtria & opere ceſſarent, maris diluuio iterum eſſet pereundum. Quid denique tota nauigandi ratio? qua fluctus marini, non franguntur, ſed peruolantur. Omnia Deus humano ingenio peruia eſſe voluit. Itaque nihil languidius, nihil eneruatius, quam quod a poeta lyrico, tam flebili verſu decantatur.
„ Nequicquam Deus arbiter prudens
„ Oceano diſſociabili terras diſſecuit, ſi
„ tamẽ Impiæ nõ tangenda rates tran-
„ liunt vada, impias rates appellat, quarum inuentor & fabricator erat Deus, quibus terræ, regionibus diſſitiſsimæ, tanquam ponte iniecto coniunguntur: & naturæ opes, per diuerſa mundi climata diſperſæ, humano generi breui manu communicantur. Itaque ſi Conſtantinus & Iuſtinianus, maris impetum, obiectis molibus frangebant, non erat illa ſtructura inutilis dicenda,

quæ tantam vrbi ſecuritatem attulit, nedum inſana, quæ ſine ſummo conſilio & exquiſitiſsima artis ratione perfici nequibat.

Quid? quòd ipſe Procopius, dum cætera Iuſtiniani ædificia meritis laudibus celebraret, illam ipſam molem, quam nunc vituperat, impenſè laudandam eſſe cenſuit. non eſt inquit Ale-
» mannus ſed ibi more ſuo, per ſpeciē
» commendationis, tacitam parabat
» vituperationem, quam apertè hoc
» Anecdotorum libro erat exaggeraturus. Quid audio? rem in libro de Ædificijs vituperabat Procopius, quam in Anecdotis exagitaturus erat? rem quæſo ad calculos reuocemus. Ante a me dictum eſt, & eſt nunc rurſus dicendum, Anecdota iſta ſcripta fuiſse, tricesimo ſecundo Imperij Iuſtiniani anno: libros verò de Ædificijs, anno eiuſdem Imperij tricesimo nono editos fuiſſe tu in tuis notis, quas Hiſtoricas appellas, non diſsimulas. Itaque ſi quid, in Anecdotis peccauerat, potuit quidē illud in libris de Ædificijs corrigere: at vero tacitam in hijs paraſſe

paraſſe vituperationem, quam in illis exagitaturus erat, affirmare, non error eſt ſed amentia. Quare excute quæſo, Alemanne, & euolue intelligentiam tuam, vide inquam quantum tu vel ingenio vel pudori tuo facias iniuriam, dum Procopium per fas & nefas ſubleuando, tuam vel rerum ignorantiam, vel oris inuerecundiam prodere non verearis. Salua igitur res eſt ab ædificiorum inſania: ſed maius, vt opinor, periculum a pecunijs in barbaros effuſis pertimeſcitur. *Hunnorum, inquit, ducibus nulla ratione acceſſitis, immanes pecunias, perdita munificentia largitus fuit. Equidem Alemanne, bella gerere, quam, (vt Enniano verbo vtar,) cauponari, maius & præſtantius eſſe non nego: ſed tamen iſta bellorum cauponatio, & periculorum, quæ aliter pro tempore propulſari nequeant, redemptio, ſua ſæpe nec vtilitate, nec laude caret: quamuis enim ſemper glorioſum ſit pacem vendere, tamen non eſt ſemper turpe pacem emere: Quo quidem mercaturæ genere, duo

præter

præter Iuſtinianum, artifices olim fuiſſe legimus; Philippum Macedonem, Alexandri magni patrem, & Ludouicum vndecimum, Gallorum Regem: quorum iſte, Edoardum noſtrum, eius nominis quartum, cum validiſsimo exercitu Galliam ingreſsum, & Pariſiorum vrbi imminentem, muneribus & tributi ſpe delinitum, in Angliam cum riſu remiſiſſe dicitur, Iuſtinianus verò, vt in rebus maioribus verſabatur, ita in hoc genere ſolertiæ vtrumque ſuperabat. Primis ſtatim Imperij ſui annis, bellum cum Cabade Perſarum Rege, varia fortuna geſsit. Sed cum bellum Vandilicum, in Africa ſuſcipere decreuiſſet, pacem cum Cabade, annua mercede cōſtituta, fecit. Ita vires imperij omnes in Africam conuertit, & extincto Vandilorum regno, ingentem inde prædam a Beliſsario recepit. Nec ita multò poſt, Cabades legatos Conſtantinopolim, tantam victoriam gratulatum mittit: Hij per iocum prædæ Africanæ partem à Iuſtiniano petunt: Enim verò inquiunt, nunquam hanc tam claram victoriam de

Vandilis

Vandilis reportaſſes, niſi pacem tibi Cabades dediſſet: Imò, ô Perſarum Rex, pacem a te Iuſtinianus non datam, ſed emptam habuit magno quidem pretio, ſed maiore emolumento acceſſerunt enim corollarij loco, primùm Africa, deinde & Italia, non tuo munere, ſed ſuo Marte, & bonitate diuina, Romano imperio recuperatæ. Neq; verò iſtam cum Perſis pactionē multùm vituperandā fortaſſe putat Procopius, ſed Hunnis datas pecunias acerbiſsimè criminatur. Erant autem Hunni, vltra Mæotidem, ad orientem & Boream collocati, qui circa Valentis Imperatoris tempora, Cerua, vt fertur, per vaſtiſsimas voragines viam monſtrante, ad Iſtri ripam, pulſis inde Gothis, conſederunt: inde tranſito ſæpè per hyemem flumine, nunc in Thraciam, nunc in Græciam & Macedoniam, ſæpè verò ad ipſa Conſtantinop. mœnia populabundi penetrabant. Hos igitur Iuſtinianus, cum propter ingentem eorum multitudinem reprimere non poſſet, datis interim pecunijs, vt Cerberum offa, demulcebat: & id

quidem

quidem ciues Byzantini ægrè primum ferre: indignum rati, quod prædis alioquin onuſti, pecunijs inſuper ab Imperatore cumulati barbari abijſſent: Imperator verò alia planè & longè maiora animo proſpiciebat: decreuerat enim gentes illas, in teſtinis ſeditionibus debellare. Itaque nunc hos, nunc illos, pecunijs, ſubleuando, omnes breui temporis ſpatio ſic attriuit, vt ne nomen quidem Hunnicum, poſt Iuſtiniani ſœculũ, vllibi remanſerit. Tum verò ſtulti ciues prudentiam & planè diuinum Imperatoris conſilium ſuſpicere, admirari, laudibus in cælum tollere, plus denique in illo vno, ad ſalutem publicam præſidij, quam in validiſsimorum exercituum robore ineſſe confiteri, vt author eſt Agathias. Nihil minùs in hoc opere quæſitum eſt, Alemanne, quam vt Iuſtinianum laudare videar: non enim eum hoc tempore laudare ſed defendere inſtitui: ſed tanta erat illius viri virtus, & per omnes vitæ eius partes ſic diffuſa, vt difficile ſit eum in quacunq; cauſa, ſine laude nominare.

Itaque non erat Iuſtinianus ſangui-

narius, non in opibus conquirendis rapax, non in diſperdendis profuſus, ſed erat tamen, vt opinor, quouis Sardanapalo mollior, effæminatior, & omni turpiſsimæ libidinis cæno inqui-
" natior: erat enim, inquit Procopius,
" mulierum amoribus perditè deditus. Siccinè vero ſe res habet Alemanne? ad exempla veniamus: cuius ille vxorem? cuius filiam? cuius ancillam? vel præmijs corrupit, vel lenocinijs ſollicitauit, vel animo omnino cõcupiuit? qua tu illum libidine infamem, qua cupidine contactum inueniſti? cuius vnquam thorum? ſuum, an alienum violauit? quod denique in omni eius vita, amoris, præterquam coniugalis, & conceſsi, argumentum dediſſe legitur? Hæc vero non temerè, nec verboſè, ſed ita quærimus, vt per iſta quaſi veſtigia, ad libidinis illius, ſi quæ fortè fuit, locum & latebram veniamus. Itaque illud porrò quæro, quis vnquam tantus caſtitatis amator? quis tam rigidus pudicitiæ cuſtos? quis tam ſeuerus libidinis, & inconceſſæ voluptatis vindex? nec ego iſta de Iuſtiniano

tan-

tanquam de Caio, vel Auguſto Cæſaribus loquor: qui ſeueriſſimas aliorum cupiditatibus leges ſtatuerunt, quum ipſi interim, omnium, quà venerant, lectorum preſſores dicerentur. Noſter verò ille pudicitiam, non legibus & edictis, ſed moribus & exemplis ſanxit: nec ſibi vnquam illud flagitij permiſit, quod alteri licere noluit. Quoniam verò, *Alemanne*, Procopius ille tuus Iuſtinianum noſtrum libidini, adulterijs, ſcortationibus, & obſcœnæ corporis voluptati tam perditè deditum fuiſſe clamat, faciam vt appareat totam vitæ illius rationem ab iſta labe penitus abhoruiſſe: Notum enim eſt illud Comici, ſine Cerere & Baccho frigere Venerẽ. Quis autem vnquã cibi potuſq; Iuſtiniano abſtinentior? nunquã ille cibi nunquam potus ſe expleuit ſatietate; ſed ferè primis delibatis ferculis, menſam tolli iuſsit. præter rem prandiorum conſuetudinem eſſe ratus, & tanquam onus a natura impoſitum, quantum licuit, defugiendum. Sed iſta temperantiæ laus eſt: quid ieiunia? ſæpè vnum alterumque diem & no-

ctem cibo abſtinuit, & totum bidu
non alio obſonio, quam aqua
agreſti olere ducebat. Quid igitur
ſurdius, quam tantam eius ten
rantiam, profuſæ libidinis, iei
verò religionibus impenſa obſc
cupidinis accuſare? niſi forte illud
copius, non ad mores, ſed ad n
ram referebat. Vt ferunt Zopy
quendam, qui ſe naturam cuiuſqu
forma & vultus habitu perſpicere
fitebatur, Socratem inter cœtera
dini deditum affirmaſſe: cumque a
cumſtantibus irrideretur, ingenu
ſum fuiſſe Socratem, ſe natura qu
ad libidinem propenſiorem eſſe
naturam illam ratione correctan
xiſſe. Itaque ſi Iuſtinianus, ad li
nem pari naturæ propenſitate ferel
multò tamen faciliùs, quam Soc
ſe corrigere & emendare valuit
buit enim non ſolum rectæ ra
adiumentum, verum etiam Chriſ
religionis ſubſidium, quo ad agr
illam feram edomandam vte
Quid? quod Socrates Græcorun
re epulis & vino, præſertim in de

feſtis, vt ipſe apud Platonem ſæpius profitetur, largiùs ſemper vtebatur: Iuſtinianus verò victus temperantia, de libidine victoriam, & continentiæ laudem facilè reportabat. Aperta igitur res eſt, & ipſa natura nos admonet, libidinem omnem mores iſtos & vitæ conſuetudinem auerſari. Quid de vigilijs loquar? quibus ita vtebatur, vt ſomno nunquam indulgeret, rarò tantum caperet, quantum naturæ ſufficere videretur. Præclarè Homerus, non oportet, inquit, virum reip. conſulentem noctem ſomno ducere: Plato verò, libro ſeptimo de legibus, vigiliarum vſum & vtilitatem, multis verbis proſequitur: eaſque in magiſtratu diligentiſsimè requirit: ſed ante omnia libidinis aculeos, tanquam lima quadam, atterunt, & obtuſiores reddunt, imo frangunt prorſus & nocendi vim omnem auferunt. Quid ad hæc Procopius? neſcio, inquit, niſi quod qui
" in tanta cibi potuſque & ſomni ab-
" ſtinentia, rebus Venereis tam per-
" ditè eſſet deditus, non homo ſed

„ pernicioſus dæmon videri debuit? Quid vero hoc erat aliud, Alemanne, quam quod Iudæi olim, referente Saluatore, de Baptiſta? venit, inquit, Ioannes, neque edens, neque bibens, & eum dæmonium habere dicitis. At credo, Vigiliarum ſuarum tempus nec aptè, nec vtiliter inſumebat: rem acu tetigiſti, inquit Pro-
„ copius: horam enim vnam, ſomno
„ indulgens, reliquum tempus, con-
„ tinuis terebat deambulationibus,
„ quod quidem tempus ſi rebus agen-
„ dis inſumpſiſſet: Reſp. certè ad ſum-
„ mam fœlicitatem perueniſſet. Quid igitur, Alemanne, ſi oſtendero, eum quod poſtulat Procopius, in rebus vel ad Remp. vel ad eccleſiam, vel ad religionem, & animæ ſuæ ſalutem pertinentibus impendiſſe? Arſaces quidem, cum Artabanem, de quo ſuprà mentionem fecimus, ad cædem Iuſtiniani, rei conficiendæ facilitate commemoranda, impelleret, hominem,
„ inquit, ſera nocte in cubiculo ob-
„ ambulantem, & cum veternoſis qui-
„ buſdam presbyteris & Sacerdotibus

de

„ de rebus ad religionem pertinen-
„ tibus differentem reperiemus. Quid ipſe Iuſtinianus? an non vigiliarum ſuarum rationem vbique reddit? Omnes, inquit, nobis dies & noctes contingit cum omni lucubratione degere; ſemper volentibus, vt aliquid vtile & placens Deo, a nobis præbeatur, & non in vano vigilias ducimus, ſed in eiuſmodi eas expendimus concilia, pernoctãtes, & noctibus ſub equalitate dierum vtentes, vt noſtri ſubiecti ſub omni quiete conſiſtant. Videſnè Alemanne, Iuſtinianum nõ otioſis deambulationibus, ſed eccleſiæ, Religionis, Reip. & ſubditorum otio, paci, vtilitati vigilias ſuas impendiſſe? Etenim quantum temporis alij ſæpè Reges & Principes commeſſationibus & epulis, quantum venationibus & ludis, quantum citharæ & ſomno tribuunt, tantum ille, non ſolum voluptati & otio, verùm etiam naturæ ferè ipſi ſubtractum, eccleſiæ, & imperij negotiis tribuebat. Aliter ſi res fuiſſet, nunquam ille, tot tantaſque res in imperio geſſiſſet, non illam eccleſiæ formam ſuis legibus

conſtituiſſet, non Idolorum cultum ſuſtuliſſet, non denique tot gentes, Blemyas, Arabas, & vtramque Mauruſiorum nationem, ſuis conſilijs, rationibus, hortatibus, ad fidem chriſtianam conuertiſſet. Non libentèr equidem facio, vt Iuſtinianum cum Iuliano comparem, ſed tamen Marcellinus, ſcriptor ſuæ ætatis fide & iudicio probatiſsimus, Iuliani in cibo potuque temperantiam continuaſque vigilias, & noctis in officia, priuata, publica, & diuina partitionem ſummis laudibus efferre non dubitauit. meritò illud quidem; ſed quanto iuſtius, hoc ipſum in Iuſtiniani præconijs faciendum? qui non, vt Iulianus, a Chriſto profugus Iouis ſacra, ſed verè diuina Chriſti Ieſu myſteria, & corporis illius, hoc eſt, eccleſiæ negotia dies noctesque in ſomnes ducendo, toto animo procurabat: omnino enim ad has res, mente opus eſt, qua rectè vti nequeunt, multo cibo & potione interdiu completi, noctes vero totas, vel voluptatibus vel ſomno dediti.

Scio

Scio te, Alemanne, nihil de Iuſtiniani laudibus inuitiùs, quam iſta eius in rebus eccleſiæ procurandis præconia audire: ſed eò me perduxit Iuſtiniani ab obſcœnæ libidinis crimine defendendi via: Quid enim, ô Deus bone, præſtat ratio? quid ieiunia? quid ſanctiſſimorum hominum frequentatio? quid tot miſericordiæ opera? quid nocturnæ pro fide Chriſti lucubrationes? quid exantlati labores? quid ſuſcepta pericula? quid bella geſta? quid reliqua pietatis officia, homini chriſtiano præſtant, ſi animum a libidinis furore liberum & immunem non præſtant? Hijs certè armis fretus Iuſtinianus de teterrimo illo vitæ humanæ monſtro triumphabat: extatque in eam rem, Agapeti, Diaconi, doctiſſimi iuxta, ſanctiſſimiq; viri, in ſuis, ad ipſum Parænεticis, elogium: Verè, te, inquit, Imperatorem dixerim, quandoquidem libidinibus imperantem, & pudicitiæ corona fulgentem video. Qua de re, quoniam ſatis mihi nunc dixiſſe videor, ad Procopiana conuitia animum referamus. Pernicioſus, inquit, Dæmon erat Iuſtinianus

nianus : Quid ? vtrumnè propter ſolam libidinem iſta dicit, an ob reliquæ vitæ turpitudinem ? imo , propter inſanam & perditam totius vitæ rationem : « Mihi enim , inquit , & mei ordinis « pleriſque nunquam ille homo viſus « eſt, ſed pernitioſus Dæmon, & fune « ſta hominum peſtis, quæ omnes ho- « minum rationes, atque negotia, per- « ditum iret, eoque humana indutus « forma, quaſi ſemi-homo furia, ſic vni- « uerſum terrarum orbem , conuul- « ſerit.

Nihil aliud a te hoc in loco, quæro, quam an iſta bellua, tibi, Alemanne, hiſtorici nomine digna ? an in ſcribendo vllam hiſtoriæ legem ſeruaſſe, an denique qui iſto modo rem agit, fidem in aliquo mereri videatur ? Non eſt, » inquis, ſic intelligendus Procopius, » quaſi Iuſtinianum re ipſa Dæmo- » nem fuiſſe diceret : ſed communi » loquendi conſuetudine vſus, eum » Dæmonem appellat: quem rem præ- » cipitem egiſſe refert. Nihil agis, A- » lemanne, rem ipſam aſtruere conatur: & ab ipſo Dæmone genitum fuiſſe vult

" vult: ferunt, inquis, eius matrem,
" nonnullis ex neceſſarijs narraſſe, eum
" non Sabbatij coniugis, aut hominum
" cuiuſpiam fuiſſe ſobolem, ſed ante-
" quam grauida facta fuiſſet, dæmoni-
" um quendam, ad ſe uentitare ſolitum
" qui non ad viſum ſed ad contactum,
" ſe præberet, & accubaret ſibi, &
" quaſi maritus coniugem iniret.
Quid? an non apertè vides; id agere,
in eo laborare Procopium, vt eum ab
Incubo, ad mortalium perniciem, genitum
fuiſſe, populo perſuadeat? at quam
ridiculè? eſto enim; eiuſmodi inſomnia
paſſa eſt Iuſtiniani mater: ſed & aliæ
plures; quæ liberos inde ad patriæ ſuæ
immortale decus & gloriam pepererunt.
Olympias, Alexandri Magni mater,
negabat eum a Philippo Macedonum
Rege fuiſſe genitum: ſe enim ſibi,
qua nocte eum vtero conciperet, cum
ingenti ſerpente voluntari viſam affirmabat.
Africani Maioris mater, quid?
an non ſimile quid ſibi in ſomnis accidiſſe
dixit. Et tamen quantum ille Macedonum,
hic Romanorum gloriam auxit, quis non intelligit? Ita enim
in-

inſomnia, quoties animis obuerſantur non turpitudinis & infortunij, ſed futuræ plerumque amplitudinis & claritatis præſagia exiſtimantur. At enim "multi ex ſeruis ſpectrum quoddam Iu-"ſtiniani ſpecie, aliquoties palatium o-"berrare viderant. Quid? an ipſe Procopius aliquando vidit? non: ſed ab alijs audiuit? Quid? an non intelligis Alemanne, illum, cum Anecdota iſta ſcribere inſtituiſſet, omnes vndique fabularum rumuſculos collegiſſe? Huc enim pertinet, & illa de monacho quodam fabula: qui cum ad Imperatorem priuata legatione miſſus aduentaſſet, nullo verbo emiſſo, ſola vultus maieſtate territus, gradum retulit: ad ſuos vero reuerſus, & facti cauſam interrogatus, reſpondit, ſe in Regio ſolio Dæmonum Principem reſidentem vidiſſe, quem nec adire, nec rogare quicquam eſſet animus. Itaque a te rurſus Alemanne, rogo, an iſta tibi eiuſmodi eſſe videantur, quæ hiſtoriam deceant? an tu ei fidem in aliquo habendam eſſe putes, qui mulierum inſomnia, ſeruorum mendacia, monachorum deliria ad cla-

tiſſimi viri & ſummi Imperatoris famam lædendam inducere non dubitauit? ſed iſta tamen, vt in vitioſo & ſtolido ſcriptore, vtcunque ferenda ſunt: Illud vero, quam nefandum? quam impium? quam blaſphemum? In Iuſti-
» niani, inquit, conſilijs miniſtram ſe
» præbuit, fortuna, ad mortaliũ perni-
» ciem: quandoquidem ſub idem tem-
» pus, & terræ motibus & peſtilentijs,
» & fluminum eluuionibus, tot accide-
» rant vaſtationes, vt illa etiam a Iuſti-
» niano, non humana vi facta videantur. O ſcelus: quis vnquam fortunæ tantam vim? tantam in rebus humanis potentiam? tantum numen tribuit? ſed nolo ego hominem Gentilem, ad chriſtianæ religionis libram expendere; ad rationem venio; cuius ego in conuitiatore maledico, & furioſo vim & medullam non requiro: vmbram ipſam & imaginem ſi tenuerit, ſatis ad Iuſtiniani
» infamiam eſſe volo: Proſtratæ, in-
» quit, ſunt terræ motibus Antiochia,
» vrbs orientis primaria, & Seleucia, &
» in Cilicia inclyta vrbs, Anabarſus. Opinor, Alemanne, vera eſſe quæ narrat

rat Procopius : ſed quid ad rem ? erat Antiochia vrbs, cum cœteris rebus clara, tum præcipuè Chriſtiani nominis prærogatiua. Veruntamen diuino iudicio, tantas illa, tamque frequentes clades, quantas non alia ferè per vniuerſum terrarum orbem ciuitas paſſa fuiſſe reperitur. Quoties a peſte occupata ? quoties ſeditionibus agitata ? quoties ab hoſtibus vaſtata ? quam infinitis penè terræ motibus ſubuerſa ? ne nimis antiqua repetam: Traiano olim præſente terræ motu funditùs euerſam fuiſſe teſtatur Dion : iterum Leonis magni tempore, ſimili caſu oppreſſam fuiſſe memorat Euagrius ; rurſus Imperante Iuſtino Seniore, anno a Chriſto incarnato, quingenteſimo viceſimo ſexto, penè deleta eſt ; biennio poſt, eodem Iuſtino adhuc ſuperſtite, quarto terræ motu corruit : Iuſtiniano vero regnante, bis eodem caſu proſtrata iacuit. Bis ab eodem reſtituta, & pro Antiochia Theopolis appellata, hoc eſt, ipſo nomine, Deo conſecrata fuit : nec vnquam poſtea ſimilem calamitatem ſubijſſe legimus. Hoccinè igitur, tu, Alemanne, vel

vel natiuis Iuſtiniani furijs, vel fortunæ ſe illi ad tam inclytæ vrbis perniciem, miniſtram præbenti tribuendum fuiſſe putas? Quid Seleucia? nunquamnè ante Iuſtiniani imperium, terræ motu concuſſa? frequentiſſimè: nam quòd ad Anabarſum attinet, ſatis quidem ex Euagrio conſtat, eam non Iuſtiniani ſed Iuſtini Senioris tempore concidiſſe. Sed quæ hæc eſt Procopij inſania? Nili in Ægypto, Cydni in Aſia eluuiones Iuſtiniano tribuit. Quid? Tibris Romana, nunquamnè inundatione ſua vrbem afflixit? equidem Alemanne, in vrbe ſuperſtitionibus deditiſſima, fluminis illius excreſcentiam, prodigio ſemper habitam, & ex libris Sybillinis hoſtijs maioribus plerumq; procuratam fuiſſe non ignoro: ſed quis tamen vnquam eum vel Regis, vel Conſulis, vel Dictatoris auſpicijs imputabat? Verum & grauis peſtilentia, Imperante Iuſtiniano, Romanum orbem inuaſit; fateor, ſed & aliàs ſæpe. Neque vero, Alemanne, deerant qui tantæ cladis cauſas, ſermonibus inter ſe illo ipſo tempore, agitabant: quorum alij ex Ægypti-

ctem cibo abſtinuit, & totum biduum non alio obſonio, quam aqua & agreſti olere ducebat. Quid igitur abſurdius, quam tantam eius temperantiam, profuſæ libidinis, ieiunia verò religionibus impenſa obſcœnæ cupidinis accuſare? niſi fortè illud Procopius, non ad mores, ſed ad naturam referebat. Vt ferunt Zopyrum quendam, qui ſe naturam cuiuſque ex forma & vultus habitu perſpicere profitebatur, Socratem inter cœtera libidini deditum affirmaſſe: cumque a circumſtantibus irrideretur, ingenuè faſſum fuiſſe Socratem, ſe natura quidem ad libidinem propenſiorem eſſe, ſed naturam illam ratione correctam dixiſſe. Itaque ſi Iuſtinianus, ad libidinem pari naturæ propenſitate ferebatur, multò tamen faciliùs, quam Socrates, ſe corrigere & emendare valuit: habuit enim non ſolum rectæ rationis adiumentum, verum etiam Chriſtianæ religionis ſubſidium, quo ad agreſtem illam feram edomandam vteretur. Quid? quod Socrates Græcorum more epulis & vino, præſertim in deorum

feſtis,

feſtis, vt ipſe apud Platonem ſæpius profitetur, largiùs ſemper vtebatur: Iuſtinianus verò victus temperantia, de libidine victoriam, & continentiæ laudem facilè reportabat. Aperta igitur res eſt, & ipſa natura nos admonet, libidinem omnem mores iſtos & vitæ conſuetudinem auerſari. Quid de vigilijs loquar? quibus ita vtebatur, vt ſomno nunquam indulgeret, rarò tantum caperet, quantum naturæ ſufficere videretur. Præclarè Homerus, non oportet, inquit, virum reip. conſulentem noctem ſomno ducere: Plato verò, libro ſeptimo de legibus, vigiliarum vſum & vtilitatem, multis verbis proſequitur: eaſque in magiſtratu diligentiſsimè requirit: ſed ante omnia libidinis aculeos, tanquam lima quadam, atterunt, & obtuſiores reddunt, imo frangunt prorſus & nocendi vim omnem auferunt. Quid ad hæc Procopius? neſcio, inquit, niſi quod qui
" in tanta cibi potuſque & ſomni ab-
" ſtinentia, rebus Venereis tam per-
" ditè eſſet deditus, non homo ſed

„ perniciosus dæmon videri debuit? Quid vero hoc erat aliud, Alemanne, quam quod Iudæi olim, referente Saluatore, de Baptiſta? venit, inquit, Ioannes, neque edens, neque bibens, & eum dæmonium habere dicitis. At credo, Vigiliarum ſuarum tempus nec aptè, nec vtiliter insumebat; rem acu tetigiſti, inquit Procopius: horam enim vnam, ſomno „ indulgens, reliquum tempus, con„ tinuis terebat deambulationibus, „ quod quidem tempus ſi rebus agen„ dis inſumpſiſſet: Reſp. certè ad ſum„ mam fœlicitatem perueniſſet. Quid igitur, Alemanne, ſi oſtendero, eum quod poſtulat Procopius, in rebus vel ad Remp. vel ad eccleſiam, vel ad religionem, & animæ ſuæ ſalutem pertinentibus impendiſſe? Arſaces quidem, cum Artabanem, de quo ſuprà mentionem fecimus, ad cædem Iuſtiniani, rei conficiendæ facilitate commemoranda, impelleret, hominem, „ inquit, ſera nocte in cubiculo ob„ ambulantem, & cum veternoſis qui„ buſdam presbyteris & Sacerdotibus

de

„ de rebus ad religionem pertinen-
„ tibus differentem reperiemus. Quid ipſe Iuſtinianus? an non vigiliarum ſuarum rationem vbique reddit? Omnes, inquit, nobis dies & noctes contingit cum omni lucubratione degere; ſemper volentibus, vt aliquid vtile & placens Deo, a nobis præbeatur, & non in vano vigilias ducimus, ſed in eiuſmodi eas expendimus concilia, pernoctātes, & noctibus ſub equalitate dierum vtentes, vt noſtri ſubiecti ſub omni quiete conſiſtant. Videſnè Alemanne, Iuſtinianum nō otioſis deambulationibus, ſed eccleſiæ, Religionis, Reip. & ſubditorum otio, paci, vtilitati vigilias ſuas impendiſſe? Etenim quantum temporis alij ſæpè Reges & Principes commeſſationibus & epulis, quantum venationibus & ludis, quantum citharæ & ſomno tribuunt, tantum ille, non ſolum voluptati & otio, verum etiam naturæ ferè ipſi ſubtractum, eccleſiæ, & imperij negotiis tribuebat. Aliter ſi res fuiſſet, nunquam ille, tot tantaſque res in imperio geſſiſſet, non illam eccleſiæ formam ſuis legibus

Scio te, Alemanne, nihil de Iuſtiniani laudibus inuitiùs, quam iſta eius in rebus eccleſiæ procurandis præconia audire: ſed eò me perduxit Iuſtiniani ab obſcœnæ libidinis crimine defendendi via: Quid enim, ô Deus bone, præſtat ratio? quid ieiunia? quid ſanctiſſimorum hominum frequentatio? quid tot miſericordiæ opera? quid nocturnæ pro fide Chriſti lucubrationes? quid exantlati labores? quid ſuſcepta pericula? quid bella geſta? quid reliqua pietatis officia, homini chriſtiano præſtant, ſi animum a libidinis furore liberum & immunem non præſtant? Hijs certè armis fretus Iuſtinianus de teterrimo illo vitæ humanæ monſtro triumphabat: extatque in eam rem, Agapeti, Diaconi, doctiſſimi iuxta, ſanctiſſimiq; viri, in ſuis, ad ipſum Parænetícis, elogium: Verè, te, inquit, Imperatorem dixerim, quandoquidem libidinibus imperantem, & pudicitiæ corona fulgentem video. Qua de re, quoniam ſatis mihi nunc dixiſſe videor, ad Procopiana conuitia animum referamus. "Perniciosus, inquit, Dæmon erat Iuſtinianus

nianus : Quid ? vtrumnè propter ſolam libidinem iſta dicit, an ob reliquæ vitæ turpitudinem ? imo, propter inſanam & perditam totius vitæ rationem : " Mihi enim, inquit, & mei ordinis " pleriſque nunquam ille homo viſus " eſt, ſed pernitioſus Dæmon, & fune" ſta hominum peſtis, quæ omnes ho" minum rationes, atque negotia, per" ditum iret, eoque humana indutus " forma, quaſi ſemi-homo furia, ſic vni" uerſum terrarum orbem, convul" ſerit.

Nihil aliud a te hoc in loco, quæro, quam an iſta bellua, tibi, Alemanne, hiſtorici nomine digna ? an in ſcribendo vllam hiſtoriæ legem ſeruaſſe, an denique qui iſto modo rem agit, fidem in aliquo mereri videatur ? Non eſt, " inquis, ſic intelligendus Procopius, " quaſi Iuſtinianum re ipſa Dæmo" nem fuiſſe diceret : ſed communi " loquendi conſuetudine vſus, cum " Dæmonem appellat: quem rem.præ" cipitem egiſſe refert. Nihil agis, A" lemanne, rem ipſam aſtruere conatur: & ab ipſo Dæmone genitum fuiſſe vult

» vult: ferunt, inquis, eius matrem,
» nonnullis ex neceſſarijs narraſſe, eum
» non Sabbatij coniugis, aut hominum
» cuiuſpiam fuiſſe ſobolem, ſed ante-
» quam grauida facta fuiſſet, dæmoni-
» um quendam, ad ſe uentitare ſolitum
» qui non ad viſum ſed ad contactum,
» ſe præberet, & accubaret ſibi, &
» quaſi maritus coniugem iniret.
Quid? an non apertè vides, id agere, in eo laborare Procopium, vt eum ab Incubo, ad mortalium perniciem, genitum fuiſſe, populo perſuadeat? at quam ridiculè? eſto enim; eiuſmodi inſomnia paſſa eſt Iuſtiniani mater: ſed & aliæ plures; quæ liberos inde ad patriæ ſuæ immortale decus & gloriam pepererunt. Olympias, Alexandri Magni mater, negabat eum a Philippo Macedonum Rege fuiſſe genitum: ſe enim ſibi, qua nocte eum vtero conciperet, cum ingenti ſerpente voluntari viſam affirmabat. Africani Maioris mater, quid? an non ſimile quid ſibi in ſomnis accidiſſe dixit. Et tamen quantum ille Macedonum, hic Romanorum gloriam auxit, quis non intelligit? Iſta enim

in-

inſomnia, quoties animis obuerſantur: non turpitudinis & infortunij, ſed futuræ plerumque amplitudinis & claritatis præſagia exiſtimantur. At enim "multi ex ſeruis ſpectrum quoddam Iu-"ſtiniani ſpecie, aliquoties palatium o-"berrare viderant. Quid? an ipſe Procopius aliquando vidit? non: ſed ab alijs audiuit? Quid? an non intelligis Alemanne, illum, cum Anecdota iſta ſcribere inſtituiſſet, omnes vndique fabularum rumuſculos collegiſſe? Huc enim pertinet, & illa de monacho quodam fabula: qui cum ad Imperatorem priuata legatione miſſus aduentaſſet, nullo verbo emiſſo, ſola vultus maieſtate territus, gradum retulit: ad ſuos vero reuerſus, & facti cauſam interrogatus, reſpondit, ſe in Regio ſolio Dæmonum Principem reſidentem vidiſſe, quem nec adire, nec rogare quicquam eſſet animus. Itaque a te rurſus Alemanne, rogo, an iſta tibi eiuſmodi eſſe videantur, quæ hiſtoriam deceant? an tu ei fidem in aliquo habendam eſſe putes, qui mulierum inſomnia, ſeruorum mendacia, monachorum deliria ad cla-

riſſimi viri & ſummi Imperatoris famam lædendam inducere non dubitauit? ſed iſta tamen, vt in vitioſo & ſtolido ſcriptore, vtcunque ferenda ſunt: Illud vero, quam nefandum? quam impium? quam blaſphemum? In Iuſti-
» niani, inquit, conſilijs miniſtram ſe
» præbuit, fortuna, ad mortaliũ perni-
» ciem: quandoquidem ſub idem tem-
» pus, & terræ motibus & peſtilentijs,
» & fluminum eluuionibus, tot accide-
» rant vaſtationes, vt illa etiam a Iuſti-
» niano, non humana vi facta videantur. O ſcelus: quis vnquam fortunæ tantam vim? tantam in rebus humanis potentiam? tantum numen tribuit? ſed nolo ego hominem Gentilem, ad chriſtianæ religionis libram expendere; ad rationem venio; cuius ego in conuitiatore maledico, & furioſo vim & medullam non requiro: vmbram ipſam & imaginem ſi tenuerit, ſatis ad Iuſtiniani
» infamiam eſſe volo: Proſtratæ, in-
» quit, ſunt terræ motibus Antiochia,
» vrbs orientis primaria, & Seleucia, &
» in Cilicia inclyta vrbs, Anabarſus. Opinor, Alemanne, vera eſſe quæ narrat

rat

rat Procopius: ſed quid ad rem? erat Antiochia vrbs, cum cœteris rebus clara, tum præcipuè Chriſtiani nominis prærogatiua. Veruntamen diuino iudicio, tantas illa, tamque frequentes clades, quantas non alia ferè per vniuerſum terrarum orbem ciuitas paſſa fuiſſe reperitur. Quoties a peſte occupata? quoties ſeditionibus agitata? quoties ab hoſtibus vaſtata? quam infinitis pene terræ motibus ſubuerſa? ne nimis antiqua repetam: Traiano olim præſente terræ motu funditùs euerſam fuiſſe teſtatur Dion: iterum Leonis magni tempore, ſimili caſu oppreſſam fuiſſe memorat Euagrius: rurſus Imperante Iuſtino Seniore, anno a Chriſto incarnato, quingenteſimo viceſimo ſexto, penè deleta eſt; biennio poſt, eodem Iuſtino adhuc ſuperſtite, quarto terræ motu corruit: Iuſtiniano vero regnante, bis eodem caſu proſtrata iacuit. Bis ab eodem reſtituta, & pro Antiochia Theopolis appellata, hoc eſt, ipſo nomine, Deo conſecrata fuit: nec vnquam poſtea ſimilem calamitatem ſubiiſſe legimus. Hoccinè igitur, tu, Alemanne,
vel

vel natiuis Iuſtiniani furijs, vel fortunæ ſe illi ad tam inclytæ vrbis perniciem, miniſtram præbenti tribuendum fuiſſe putas? Quid Seleucia? nunquamnè ante Iuſtiniani imperium, terræ motu concuſſa? frequentiſſimè: nam quòd ad Anabarſum attinet, ſatis quidem ex Euagrio conſtat, eam non Iuſtiniani ſed Iuſtini Senioris tempore concidiſſe. Sed quæ hæc eſt Procopij inſania? Nili in Ægypto, Cydni in Aſia eluuiones Iuſtiniano tribuit. Quid? Tibris Romana, nunquamnè inundatione ſua vrbem afflixit? equidem Alemanne, in vrbe ſuperſtitionibus deditiſſima, fluminis illius excreſcentiam, prodigio ſemper habitam, & ex libris Sybillinis hoſtijs maioribus plerumq; procuratam fuiſſe non ignoro: ſed quis tamen vnquam eum vel Regis, vel Conſulis, vel Dictatoris auſpicijs imputabat? Verùm & grauis peſtilentia, Imperante Iuſtiniano, Romanum orbem inuaſit; fateor, ſed & aliàs ſæpe. Neque vero, Alemanne, deerant qui tantæ cladis cauſas, ſermonibus inter ſe illo ipſo tempore, agitabant: quorum alij ex Ægypti-

gyptiorum & Chaldæorum libris, rem ad temporum reuolutiones, & peſtilentium quorundam ſiderum periodos, & coitiones, quas illo tempore contigiſſe compererant, referebant: alij diuini numinis iram aduerſus mortalium peccata concitatam memorabant, vt refert Agathias: ſed quis vnquam præter Procopium eò impudentiæ proceſſit, vt eam vel fortunæ malignitati, vel Imperatoris meritis adſcriberet? dum iſta ſcribo quanta Londinenſem noſtram ciuitatem peſtis inuaſit? quam fera? quam mortifera? ſupra quinque mille & ducenta funerum, vnica ſeptimana elata vidimus: Quid igitur ſi peccatis noſtris ſic exigentibus, eodem accederent, bella, tumultus, hoſtium incurſiones, fames, fluminum aut marium eluuiones, terræ motus, aliæ deniq; ſtrages? quiſquamnè tam agreſtis & barbarus, tam Paganus & impius, vt ea, non a Deo, ſed a ſacratiſſimo noſtro Principe Carolo, fortuna ſe ei ad perniciem noſtram miniſtram præbente, profecta eſſe dicat? abſit. Sed me in iſto veſtrorum Alemannæ conui-

tiorum

tiorum cæno & labe iamdudum verſari tædet, ad crimina redeamus: quorum illud grauiſsimum ferè affertur, quod Imperator, nequam ſcilicet & malus in Chriſtianis ad vnitatem fidei trahendis vehementiſſimè laborabat. Sæpe, Alemanne, negaui Procopium tuum, hominem fuiſſe Chriſtianum; id nunc rurſus nego: eumque planè Ethnicum & Paganum fuiſſe dico: cur enim ſanctiſſimum iſtud Imperatoris ſtudium damnabat, niſi quod Chriſtianorum de Deo ſententiam, non ſtultitiam, ſed inſaniam eſſe iudicabat? Legatos olim Iuſtinianus ad Iohannem Pontificem Romanum, miſerat, qui ei ſignificarent quid circa impia Neſtorij & Eutycheis (quorum ille diuinitatem, hic humanitatē, Chriſti negabat) dogmata ſtatuiſſet Hinc vero de Rei chriſtianæ ſumma, de fide, de ſpe, de ſalute noſtra ſollicitudinem, ἀπονοιάν μανιώδη hoc eſt furioſam quandā ſtultitiā appellat Procopius. Audiamus igitur hominis ſapientis ſententiā: tutius, inquit, hæc ego ſilentio præteribo, ſola tantū credulitate veneratus: ſiquidē de Deo, nihil ipſe præterea

affir-

affirmauerim,niſi quod bonus omni ex
parte ſit,reſq; vniuerſas ſua potentia cō-
plectatur:de hiſce verò controuerſijs,ita
quiſq; vel Sacerdos vel priuatus homo
loquatur,quemadmodum illi ſentire li-
buerit. O præclarũ chriſtianum,& Vati-
cani hominis, aduerſus Iuſtinianum
patrocinio dignum: nihil, inquit, ego
de Chriſto; homo fuerit, an Deus,an
neuter, an vterque, viderit Neſtorius,
viderit Euthyches, viderint Chriſtiani,
quid ad me, iſta ægroti veteris inſom-
nia? Deum propter bonitatem optimũ,
propter potentiam maximum agnoſ-
cere, veterum Romanorum more non
dubitabo, iſtæ verò de Chriſto quæſtio-
nes, quid in ſe habent præter ſtultitiam
& inſaniam? Itaque non ſolum ſtultus
& Aſinus verũ etiã furioſus & demens
Iuſtinianus,qui,vt in vnã ſe omnes de re
iſta ſententiã cõuenirẽt,tãtopere labora-
bat. Quid? tu Alemãne,hac etiã in cauſa
Procopio aſtipularis? nõ,inquies;ſed ta-
" mẽ in eo grauiter peccabat Iuſtinianus
" qua tandem ratione? quia, inquis, id,
" vt eccleſiæ Doctor & Antiſtes, agere
" viſus eſt, non vt Imperator. Nolo,

Ale-

Alemanne, tibi omnia licere putes. Tua iſta, Romæ forſitan, credulæ iuuentuti, quotidianis lectionibus inſinuariſat commodè potuerunt: typis verò mandari, & virorum doctorum, liberéque ſentientium iudicio obijci
„ non debuerunt. Egit, inquis, vt
„ Antiſtes: quid? Vtrum exorciſmis, ſolennibuſque precationibus, & thure, an legibus, iudicijs, imperijs, Iuſtinianum rem illam tranſegiſſe putas? extant leges, extant conſtitutiones eius, veteres & nouellæ, quam tu in illis Antiſtitis, aut eccleſiæ doctoris vmbram reperiſti? niſi fortè omnes Principes, qui in terris ſuis rerũ diuinarũ ſolicitudinem & curam gerant, quique eccleſiarum res cauſaſque introſpiciant, Antiſtites & Epiſcopos per contumeliã appellandos eſſe credis: Verùm Fa-
„ cundus Hermienſis, illud Iuſtinia-
„ no, edito libello, in os dicere olim
„ non verebatur. Non eſt, Alemanne, huius diei Sol, qui primus illorũ hominũ faſtũ vidit & arrogantiam: iam tum eccleſia veſtra, illud ſuperbiæ & temeritatis monſtrum parturiebat; quod

iam

iam peperit. Quid autem, ſi non Hermienſis ſed Hermes ipſe? quid ſi non Facundus, ſed ipſa facundia dixiſſet? an fidem faceret? nullum tantum eſt ingenij flumen, nulla vbertas orationis, nulla dicendi vis quæ hanc hominibus cordatis, & in illorum temporum hiſtoria verſatis, opinionem ingerat. Sed
" redeo ad Procopium. Inſuper, in-
" quit, Ludos & Theatrales, & Circen-
" ſes, & venationes ſuſtulit. Quid igitur, ſi Io. Chryſoſtomum & beatum Auguſtinum illo tempore viuere contigiſſet? quibus illi laudibus & præconijs, tam pium Imperatoris ſtudium celebraſſent? quoties illi? quam in omni ferè ſcriptorum ſuorum parte, ſcænam, vt diſciplinæ corruptricem, pudoris nouercam, libidinum incentiuam, vitiorum nutriciam, denique vt rem chriſtiano nomine indignam, de-
" teſtantur? Verùm illud conſuetis ex
" ærario expenſis parſurus egit. Quid? an non Mecænas olim, in prudentiſsima illa ſua ad Auguſtum Cæſarem de rep. conſtituenda, oratione, a Dione Caſſio memoriæ prodita, id ipſum, vt ille faceret,

ceret, multis quidem rationibus contendit, ſed illa potiſſimũ, quod nullius vtilitatis res, oneri ærario non ferendo
,, eſſet? At enim, multæ ſcænicorum,
,, aliorumque opificum, & operario-
,, rum familiæ, quæ inde victum quæ-
,, rebant, ſubitò deſtituebantur. Imperatorem igitur adiſſent: ab illo reſponſum tuliſſent, ſi non optatum, at ſaltem, quale ignauus olim Athenienſis a Solone tulit: qui egeſtatem ſuam lamentanti, & quomodò victum inueniret, ſubinde interroganti, tu verò, inquit, fodito, & inuenies. Itaque Alemanne, ſcænici illi, aurigæ, & vrſarij, vel fodere, vel arare, vel aliquid agere, vel mori denique potius, quam tam turpi ratione vitam tolerare debuiſſent.
" Verùm erat, inquit, Iuſtinianus a-
" deo illiberalis, vt etiam conſueta do-
" natiua militibus denegaret. Eninuerò Alemanne, ſi deneganda cenſuit, erat hoc prudentiæ, ſi denegauit, conſtantiæ illius tribuendum; Quæ enim vnquam tanta militaris diſciplinæ in illa Rep. corruptela, quam donatiuorum largitio? poſſem Alemanne,

hanc

hanc cauſam infinitis rationibus & innumeris exemplis defendere : dixiſſe ſufficiat, eum, militem legendum non emendum, lectum verò, non inſuetis donatiuis, ſed conſuetis ſtipendijs continendum cenſuiſſe. imo,
» inquit, ſed nec ſolita ſtipendia, mi-
» litibus ſæpè perſoluit: fortaſſe, Alemanne, non habuit pro tempore vnde ſolueret. Quoties verò C. Cæſar? quoties Imperatores alij, ob non numerata Militibus ſtipendia, ad vltimam ferè fortunarum ſuarum deſperationem adductos legimus? Iuſtinianus verò, etſi ærarij difficultatem aliquando patiebatur, attamen fide & autoritate ita ſemper valuit, vt militum non dico ſeditionem, ſed ne murmur vnquam ſenſerit. Quorſum verò iſta a Procòpio commemorantur? eò vt opinor, vt Iuſtinianum apud milites inuiſum faceret : audi vero nunc & illa, quæ apud vrbanam multitudinem exoſum reddant. Mos erat, inquit,
" inopi plebi annonã, hoc eſt frumenti
" menſurã quandam viritim diſtribue-
" re: Erat quidẽ, vt ais, Alemanne mos;

quo

quo potentiores olim in Rep. Romana Ciues, & oppreſſa demum Rep. Cæſares, inopem plebeculam, tanquam vinculo quodam ſibi obſtrictam, ſemper in manu habuerunt. Itaque iam inde ab initio ceperat Auguſtum impetus conſuetudinem illam abolendi. Sed metu, ne ſucceſſorum ambitione reſtitueretur, deſtitit, vt author eſt Suetonius. Iuſtinianus verò, vt erat in in rebus agendis conſtantiſsimus, vſum illum, non abolendum cenſuit, ſed aboleuit, omnem nimirum populum, legibus non illecebris in officio continendum eſſe putauit: deinde plebem vrbicanam in otio, ſe Principe, nutriri noluit. Tertio in loco, ærarium, quod tot bellis gerendis vix ſufficeret, inutili expenſa exhauriri, rem flagitio proximam eſſe exiſtimabat: poſtremò non erat iam amplius illius largitionis cauſa. Cum enim infantibus, ſenibus, morboſis, paupertate, vel alia quauis difficultate loborantibus, ſtructis in omni genere hoſpitijs, ſumptum largiſsimè præbuiſſet, quid erat vltrà iam frumentaria largitione opus? verum

rum contra morem vſitatum, ærario debita nunquam relaxauit; at, inquam, optimè hunc morem ſoluit Iuſtinianus, Iulianum, (non nominarem ſi res religionem tangeret) in eo ſequutus; qui ad vſque finem vitæ, vt ait Marcellinus, id pertinaciter obſeruauit. Quibus enim, quæſo, gratificaturus relaxaret? pauperibus? atqui conſtat pauperes inter ipſa ſtatim edictorum exordia, ad ſoluendum ſine laxamento compelli ſolitos: Diuitibus ergo: at quid erat opus, cum rei tributariæ, id eſt, reip. & imperij diſpendio, diuitibus gratificari?
" Verum erat cauſidicis & Iuriſconſul-
" tis iniurioſus. Hic mihi ſcilicet verendum eſt, ne mei ordinis hoſtem, & inimicum tueri videar. Quid igitur eſt, quod in Iuriſconſultos deliquit Iuſti-
" nianus? omnibus, inquit, denegatis
" præmijs, quibus illi ampliſſimis, ad-
" uocatione perſuncti, donari olim &
" augeri, conſueſſent. Nimirum, Alemanne, ante Iuſtinianum, vt anſeres in Capitolio, ita in qualibet ciuitate, iuriſconſulti publicis ſumptibus alebantur, qui de iure reſponderent: Iure vero

ciuili

ciuili a Iuſtiniano promulgato, & certa ratione concluſo, omnes ſuis honorarijs viuebant, & ad ingentes tum honores tum opes perueniebant; Legationibus, Aſſeſſionibus, Queſturis, Senatorijs muneribus affatìm fruebantur; ne longè abeam: hic ipſe Procopius, quid in ſe habuit, præter Rhetorices, & iuris ciuilis, in quo omnium mortalium minimè profeciſſe videtur, opinionem? & tamen ad quam excelſum honoris & dignitatis, cum rerum affluentia, gradum aſcenderit, iam audiſtis. nam ſi ius ciuile vel mediocritèr tenuiſſet, nunquam ille in tot tamque vtilitèr a Iuſtiniano excogitatis & promulgatis legibus condemnandis, tam intolerabilitèr peccaſſet. Primùm legem de centum annorum præſcriptione, Eccleſijs indulta damnat: latus hic, Alemanne, ad diſcurrendum patet campus. Agidi olim, cum triginta tyrannos Athenis expuliſſet, quinquaginta annorū poſſeſſionem, quanquam a tyrannis acceptam mouere, duriuſculum videbatur: quam eius ſententiam in libris de Officijs mirificè laudat Tullius; contra Plato, in libro duodecimo

de legibus, in agris & domibus, hoc eſt, in rebus immobilibus, nullam vnquam præſcriptionem valere voluit, Theodoſius Imperator inter priuatos, triginta annorum præſcriptionem firmam eſſe iuſſit: Iuſtinianus contra eccleſias, niſi centum annorum ſpatio (quæ longiſſima hominis ætas eſſe cenſetur) poſſeſſionem tueri vetuit, poſtea tamen, cum per huius licentiam ſanctionis, negotia multa commoueri, & velut antiquorum vulnerum obductas cicatrices, iterum patere cerneret, legem, quam religioſo propoſito eccleſijs indulſerat, ad quadraginta annorum præſcriptionem, ratione fretus reuocabat. Quid igitur eſt, quod
» reprehendit Procopius? Erat, inquit,
» lex ad ciuium perniciem lata. Nec ego, Alemanne, nego, grauia quædam inde incommoda reip. prouenisſe: Non enim eccleſiaſtici illa Imperatoris gratia, ad eccleſiarum ſuarum vtilitatem, ſed ad priuatorum iniuriam, & ſuam libidinem abutebantur. Quocirca eam paucos poſt annos, ab ipſo antiquatam fuiſſe vides. Hoc autem vel ſciſſe Procopium fateare oportet, vel ignoraſſe:

ſi

ſi ſciebat, erat igitur ſupra omnes mortales inuidus & improbus: ſin neſciebat: quid in Rhetore & Iuriſconſulto turpius, quam ſui temporis ſuæq; ciuitatis ius adeo ignorare, vt quid in eo ratum, quid irritum ſit, non intelligat? nam quod ex Sacerdotibus quoſdam, legem illam, a Principe, magno auri pondere, emiſſe narrat, vide ne tua magis, quam mea interſit, vt crimen illud & ſtultè & improbè a Procopio confictum fuiſſe intelligatur. Quid enim? an & Pontifex Romanus, qui legis illius beneficium ſuæ etiam eccleſiæ, ſtatim concedi poſtulauit, pretio illud obtinuiſſe exiſtimabitur? an non venerandam hanc legem, diuinitus per ora Principum promulgatum fuiſſe, in iure veſtro decantatur? vt mihi quidem, mirum ſit, te, cumprimum in hunc locum incidiſſes, totum Anecdotorum codicem, blattis Vaticanis ereptum iſto ipſo nomine igni ſtatim non deuouiſſe. Verum lege
" lata, Buleutarū id eſt, Senatorū bona,
" quod nunquā ante factum, ærario vin
" dicauit. Erras Alemāne, verſione tua: non omnes Buleutæ Senatores appel-
 landi

landi erant. Romæ veteri & Nouæ, Senatores erant, alijs in ciuitatibus Decuriones dicebantur. Legem igitur tulit Iuſtinianus, vt ſi Decurionum aliquis ſine liberis maſculis vita defungeretur, eius bonorum pars quarta illius vrbis & Curiæ ærario accreſceret. Non eſt de re obſoleta pluribus diſputandum. Sed extat in libro decimo codicis titulus. Quando & quibus quarta pars debetur ex bonis Decurionum, extat etiam Iuſtiniani Nouella conſtitutio trigeſima octaua, in qua nihil cautum legitur, niſi quod totidem pæne verbis ab Imperatoribus Theodoſio, & Valentino, prius ſtatutum fuiſſe reperitur. Quid ego legem de re veſtiaria? de armis alijſq; mercibus prohibitis, non exportandis? quid de in litem iurando? quid infinitas alias leges, multa ratione, a Iuſtiniano latas, nullo ſenſu a Procopio exagitatas memorem? cui enim non tædium, & laſſitudinem pariat, ipſa talium conuitiorum enumeratio? me certè tam fugitiui hoſtis terga cædere, non ſolum tædet, verum etiam pudet: non enim ratione, non rerum notitia, non

con.

cõſilio, nõ deniq; iudicio, inſtructus, ſed rabie & furore, & inſana quadã malè de Iuſtiniano dicendi libidine inflammatus ad ſcribendum prodijt: Quocirca nulla prorſus Anecdotorum iſtorum eſt habenda ratio; nulla illis adhibenda fides multò vero minus Baronij, Anaſtaſij, Zonaræ, Suidæ, ipſius denique Euagrij, quẽ ſolum huius criminis exortem fuiſſe vellem, conuitijs, animum prudens lector aduertendum eſſe exiſtimauerit. Ex illa enim ſentina hauſerunt iſti, quicquid aut venenorum aut ſordium in eum effuderunt: Quocirca iſtam Anecdotorum editionem, præter ſpem Alemanni in rem Iuſtiniani vtiliter verſam eſſe video: profectò enim niſi hæc in lucem prodijſſent, vndènam illæ de rapinis & cædibus, alijſque in Iuſtinianum coniectis probris fabulæ manaſſent, mortales ſemper ignoraſſent: nunc autem non ſolù ipſa nihil nocent, verum etiam, ne ab iſtis amplius ei noceretur, effecerunt.

Superſunt adhuc maledicta quædam, non a Procopio accepta, ſed Alemanni

pro-

propria, quibus & reſpondere ſuperfluum, & non reſpondere ſuperbum, exiſtimari poſsit, itaque rem ſic temperabo, vt nec maledicum ſcriptorem ſine reſponſione dimittam, nec beneuolum lectorem operoſa defenſione teneam. Syluerium, Alemanne, Pontificatu Romano deiectum fuiſse criminaris: poſſem equidem crimen hoc, ſi quod eſſet, in Beliſsarium reijcere: ſed nihil ego in hac cauſa, a Beliſſario, ſine Iuſtiniani mandato factum eſſe volo: nihil præter ius, nihil ſine ſumma ratione geſtum fuiſſe contendo. Quis enim temporum illorum tam ignarus, vt non intelligat; Syluerium contra morem à maioribus acceptum, contra fidem, aduerſa religione, & ad ſummam Romani imperij & nominis iniuriam, pontificatum illum, à Gothorum Regis, id eſt, hominis, ſi genus ſpectas, barbari, ſi religionem, Arriani, ſi poteſtatem, Tyranni, ſi mentem, Romano nomini infenſiſsimi, beneficio occupaſſe? deinde vt te Procopij tui cultro iugulem, narrat ille, ideo Syluerium a Beliſſario relegatum, quod ſecreta conſilia cum Gotho-

rum

rum rege agitaſſe, diceretur: nec dicebatur modo; præſto erat accuſator Vigilius: aderant teſtes, Marcus & Iulianus: proferebantur litteræ in eam rem a Sylucrio, vt dicebatur, ſcriptæ: quid ad cauſam inſtructius afferri potuit? ſed an relegatũ, fame inſuper enecari oportuit? minimè; ſed tu, cuius id ſcelere factum fuiſſe ſomnias? an Iuſtiniani? inſpice quæſo Liberati Breuiarium: ibi, non Iuſtiniani culpa, ſed Vigilij veſtri deteſtanda fraude, & inaudito ſcelere inedia enectum, & tabe confectum, fuiſſe reperie. Quanquam, quid ego te Liberatum inſpicere iubeo? inſpexiſti, & quæ a me breuiſsimè tacta ſunt, ab eo latius explicata perlegiſti, & tamen ſcelus hoc a Vigilio in Iuſtinianum transferre, non dubitaſti: Huic ſuccesſit is, quem dixi, Vigilius: ſi tamen ille ſucceſſor, non Romanæ ſedis inuaſor, appellari debeat: quale, Deus bone, monſtrum? quam tetrum? quam dirum? cædis ille Sylucrianæ autor, dignitatis emptor, foras Epiſcopus, intus hæreticus, Romæ Catholicus, Conſtantinopoli Eutychianus, a populo Romano diris omnibus

deuotus: fur, Lupus, & Antychriſtus, non a Liberato, ſed ab ipſo Baronio in ſuis Annalibus vſurpatus, omnium denique mortalium nequiſsimus, conſentientibus omnium bonorum vocibus appellatus. Hunc igitur Roma, Conſtantinopolim, pertractum, a Iuſtiniano (is enim eſt alter criminandi locus) indignis modis habitum, & fune ad collum religato, per Vicos tractum fuiſſe vociferaris. Quo autore? Anaſtaſio, inquis: Bene ſit Anaſtaſio. Quid igitur, ſi eum talis cum eſſet, vltima quæque paſſum fuiſſe confiterer? quid ſi profiterer? quid ſi gloriarer? ecquod inde criminis Iuſtinianus contraxiſſe videretur? non opinor: illud vnum mirari libet, vbi tandem Anaſtaſius ille veſter funem reperit, quo Vigilium, ſic per plateas raptatum fuiſſe aſſerit: non enim Agathias, non Euagrius, non Liberatus, non Victor Tunnenſis non veterum ſcriptorum aliquis, non ipſe denique Procopius, qui tam graue ſæuitiæ exemplum neutiquam ſiluiſſent, illud vſquam litteris prodiderunt: quin illud potius memorant, vinctum quidem eum ob ſce-

lera

lera admiſſa Cōſtantinopolim adductū: Iuſtinianum vero, vel Sacerdotium eius reueritum, vel fortunæ miſertum, ei in occurſum prodijſſe, nec amplexibus modo eum, verum etiam oſculis accepiſſe multis denique cum honoribus ab Imperatore auctum: Romam remiſſum, ſed in itinere, vitam cum morte commutaſſe. Vnde igitur hæc tanta animo tuo oborta nox, vt tu ſic vnius Anaſtaſij conuitium plus ad infamiam, quam conſentientem omnium ætatum vocem ad Iuſtiniani laudem valere oportere exiſtimares? Nam quod ad tertiam tuam querelam attinet, pudet dicere, quantam illa præ ſe ferat infantiam: Conſtantinopolitanos, inquis, Patriarchas ad Romanorum Pontificum iniuriam, œcumenicos ſalutabat. Quid igitur, ſi, vt ante eum Imperator Marcianus, Sedem Conſtantinop. Chriſtianorum, Orthodoxæ religionis, omnium matrem appellaſſet? quid ſi ei iura & priuilegia, ſuper creationibus Epiſcoporum, & ante alios reſidendi, edictis ſuis tribuiſset? Quid denique, ſi Catholicum appellaſset? non enim hoc vt opinor, ad

Pontificis

Pontificis Romani, ſed ad Dubiani in Perſide Epiſcopi, iniuriam pertinuiſset. Quanquam iſta iniuria, quæcunque tandem fuit, intra verba conſiſtit: quid ſi ad facta perueniſset? Quid ſi, vt hoc ipſo ſæculo (nondum enim inde centeſsimus annus agitur) Hiſpanus ille Carolus quintus Romam ipſam, Duce Carolo Borbonio, armato milite occupaſset? quid ſi ciues, ſine ætatis aut ſexus diſcrimine occidiſset? quid ſi præ cæteris, Sacerdotes ad necem conquiſiſset? Cardinales, partim occidiſset, partim captiuos abduxiſset? ipſum Pontificem cuſtodia tenuiſset? denique, ex eorum redemptione quadringenta Ducatorum millia redegiſset? quas ille lachrymas? quos fletus? quam lugubres planctus cieuiſset? & tamen Carolum a ſcriptoribus Hiſpanis defendi non ignoras: non quidem facto ipſo, ſed quod Pontificis arrogantia, aulæque & vrbis, & eccleſiæ Romanæ præſens nequitia, tam graues pœnas non mereri modo, verum etiam expetere, vel potius flagitare & exigere videbatur. Iſta verò œcumenici appellatio, quid habuit in ſe iniuriæ? quid

acerbi-

acerbitatis? Honoris cauſa, Imperator, Regiæ vrbis Epiſcopum Oecumenicum ſalutabat: non cauſas a cœteris Patriarchis auocandi, non appellationes ab illis interpoſitas recipiendi, nõ alia poteſtatis iura, aut ille donabat, aut hic illius tituli fiducia ſibi arrogabat. Quoniam verò mihi cum homine in antiquitatis apicibus verſatiſsimo res eſt, ideo quid ſibi voluit inuidioſa illa Oecumenici appellatio, paululum videamus. Iuſtinianus quum ad Epiphanium ſcriberet, eũ œcumenicum ſalutabat. Quid ni verò, ſalutaret? quid eſt enim Oecumenicum? idem, vt opinor, quod vniuerſale: idem enim iterum ad eundem ſcribens, Epiphanio, inquit, Archiepiſcopo huius fœliciſsimæ vrbis, & vniuerſali Patriarchæ. Vniuerſale autem quam vim habuit? eam ſcilicilet, vt Epiphanium, non totius orbis, ſed vniuerſæ ſuæ Prouinciæ principem eſſe oſtenderet. Propterea, cum ad Mennam, poſtea eiuſdem ſedis Epiſcopum, Sacram dirigeret, ſic eam inſcripſit. Mennæ, huius Regiæ vrbis Epiſcopo & vniuerſi eius tractus Patriarchæ; vides Alemanne, huius

l. 7. Co. de ſum. Trinit.

l. 34. Co de Epiſc. Audient.

huius appellationis ambitu, non terræ habitabilis,ſed Conſtantinopolitani diſtrictus terminos, contineri: eodem planè modo, quo ille, quem dixi, Dubianus Epiſcopus, Catholicus apud Proco-
» pium in Perſicis appellatur. Hic in-
» quit, Chriſtianorum Epiſcopus, quem
» lingua græca Catholicum appellant
» quod vnus omnibus præſit huius
» Regionis Accolis. Quocirca, nulla inuidia, plures eodem tempore Epiſcopi œcumenici inſcribebantur. Inter Concilij Quinti Generalis acta, multæ
Actio. 3. Pag. 479. literæ a Patribus ad Mennam, cum œcumenici additione miſſæ reperiuntur:
Ib. Act. 4. Pag. 482. ibid Pag. 470. vnæ etiam ad Agapetum Pontificem
» Romanum, ſimili tenore ſcriptæ. Do-
» mino noſtro Sanctiſſimo & Beatiſſi-
» mo Archiepiſcopo antiquæ Romæ, &
» œcumenico Patriachæ Agapeto Ma-
» rianus &c. Non auſim fortaſſe tam fidentèr de rebus ad antiquitatem pertinentibus Iuris conſultus diſſerere, niſi vt olim Ciceroni in cauſa Quintij, contra Hortenſium, ita mihi, in iſta Iuſtiniani contra Alemannum lite, rei ipſius euidentia, ſpiritum & fiduciam adderet.

Sed

Sed quid porrò eſt, Alemanne, quod
„ in Iuſtiniano culpas? eccleſiaſticorũ,
„ inquis, cauſis nimis cupidè ſe immiſ-
cebat. Quid? an tu eũ ad Reip. clauum
a Deo conſtitutum, in tanta rerum ia-
ctatione, & contentionũ eccleſiaſticarũ
æſtu, vt olim Palinurum in puppi, ob-
dormire voluiſti? nam ſi ille ad guber-
naculum tractandum properè non ac-
curriſſet, ſi ſuæ dignitatis oblitus, con-
tentionum & hæreſium ſentinam, ſuis,
vt ita loquar, manibus non exhauſiſset,
næ illorum temporum Sacerdotes, non
vt olim (quod teſtatur Socrates) Paga-
norum ſcœnis ridendi materiam præ-
buiſſent, ſed alteri alteros mutuis cædi-
bus abſumpſiſſent. Sed quid tamen egit,
„ miſer Imperator? leges, inquis, tulit
„ ad res eccleſiaſticas pertinentes.
Quid? an ſolus? quid? an primus?
an non ante illum Anaſtaſius, Mar-
cianus, Arcadius, Honorius, Gratianus,
Leo & Anthemius, Zeno, Theodoſij
duo, Valentinianus, Iouinianus, ipſe de-
niq; Conſtantinus, de ſumma Trinitate,
de Epiſcopis & Clericis, de Epiſco-
porum audientia & poteſtate, de
Baptiſmo,

Baptiſmo, de hæreticis, de rebus deni-
que ad religionem, ad fidem, & eccle-
ſiæ ſtatum, quaquauerſum, ſpectanti-
bus, leges ſuas promulgarunt? an non
eas ita in ſuo Codice collocauit Iuſti-
nianus planè vt ſe, non nouam eccleſia-
ſtici Regiminis telam ordiri, ſed ab illis
cœptam, ſuis laboribus, vt vigilijs per-
texendam ſuſcepiſſe oſtenderet? nam
quod eum ſuam interdum ſententiam
de rebus fidei explicare ſolitum affir-
mas, illamque iactantiam appellare ſo-
les, primum illud a te quæro, an ſolis
Imperatoribus de ſalute ſua mutire ne-
fas? Deinde ipſe tecum cogites velim,
vtrum Iuſtinianum an Conſtantinum
Magnum magis reprehendere videare.
Is enim in Concilio Niceno non ſolum
ſententiam ſuam inter Epiſcopos fre-
quens proferebat, verum etiam, quid
per Homoouſion (qua vna voce, rectiſ-
ſima fides contra Arrianorum hæreſin
definiebatur.) intelligendum eſſet, toto
Concilio approbante, declarabat, vt
refert grauiſsimus author Socrates.
Quanquam Conſtantinus, in rebus ad
religionem pertinentibus, præter re-

ctam

ctam fidem & zelum, quid habuit, cum Iuſtiniano comparandum? Tanto nimirum fuit hic Theologus, quanto ille Dux melior; præclara enim eſt illa Euſtathij, quantumuis a te ad iniuriam recitata, de illo commemoratio: qua cum in diuinorum dogmatum inueſtigatione, tam curioſè, diligentèrque verſari ſolitum fuiſſe affirmat, vt dies noctesque, poſthabitis alijs omnibus curis, illam vnam & ſolam nunquam intermitteret; ſed ad diſputandum omnes hæreticos prouocaret, eoſque nunc probabilibus argumentis, nunc demonſtrationibus, nunc ſacrarum ſcripturarum teſtimonijs confutaret. *Præclara*, inquam, eſt iſta ingenij & doctrinæ eius laus & commendatio, ſed eam ille qua tandem ratione aſſequi potuiſſet, niſi continuis, de Deo, de fide, de Chriſtiana religione & doctrina ſermonibus, tanquam iucundiſsimo aliquo paſtu, ſe mentemque ſuam refeciſſet? Tu igitur qui omnes criminandi vias quæris, quid in hac tam laudabili vitæ conſuetudine reperiſti, quod reprehendas? Infœlix, inquis, eſt eccleſia, cum

Secula-

„ Seculares Principes ita Theologiæ va-
„ cant vt Iuſtinianus. Iamdudum fero te, Alemanne, mihi crede, fero: tribuo enim aliquid doctrinæ tuæ, do multum naturæ meæ, communi humanitati, concedo omnia. Itaque dictum iſtud tuum, nec imprudentiæ nec ſceleris hoc tempore accuſo: liceat modo mihi in tanti momenti re a te liberè diſsentire. Infœlix eſt eccleſia? Imò longè fœliciſsima. Cum enim Deus ſe eccleſiæ ſuæ, hoc eſt, populo Chriſtiano, veram fidei doctrinam amplexo, Reges olim Nutritios daturum ſpoponderit, Quid, quæſo, ei ad fœlicitatem vberius, aut maius optari poſset, quam vt eos Principes & Paſtores habeat, qui præceptis inſtitutiſque Theologiæ maximè abundarent? an verò, ea eſt Philoſophiæ vis, & præſtantia, vt ſi quando regum pectoribus inſideat, totam Remp. fœliciorem reddat? Theologia miſeram & infœlicem facit? quid? an non intelligis, Reip. & eccleſiæ rationes adeo eſſe inter ſe coniunctas & connexas, vt ſi quid ſit, quod earum vni obſit, illud alteri prodeſſe nequeat? itaque ſi, vt tu quidem

vis,

vis, Theologia, principum animis recepta, Eccleſiā infœlicē faciat, Remp. certè fœlicem facere non poteſt: inde vero, efficitur, vt Theologia minores ad fœlicitatem, quam Philoſophia, vires habeat; Imo quod Philoſophia, non plus ad ſeruandam, quā Theologia, ad Remp. perdendam conferat. Quid igitur te miſerius, qui ita contra Iuſtinianum pugnas, vt Theologiæ ſimul bellum indicere, non perhorreſcas? Quoniam vero hoc tam excellens, tamque diuinum immortalis Dei beneficium, damni & infortunij accuſare libet, doce quæſo, quid inde incommodi Eccleſiæ obuenerit. Hac inquis, diuinarum rerum ſcientia inflatus Iuſtinianus, Eccleſiæ tot leges præſcribere, nouaq; dogmata tradere auſus eſt. Noli, quæſo, Alemanne expetere, noli expectare, vt ego leges a Iuſtiniano latas, & tot iam, non anniorum, ſed ſœculorum præſcriptione, & laude munitas, contra tuam inſaniam, oratione & verbis tueri velim. Sed quæ ſint illa dogmata, quæ ab illo in Eccleſiā inuecta fuiſſe criminaris, ſcire cupio. Erat inquis hæreticus, erat Eutychianus, itanè

itane vero? ego igitur hominem hæreticum? ego Eutychianum, hoc eſt, Saluatoris mei hoſtem & doctrinæ chriſtianæ peſtem defendendum ſuſcepi? meliora Deus: Quoniam tamen plena periculi res eſt, ipſam quæſo paulo attentiùs conſideremus. Primum igitur Chalcedonenſe Concilium, quod contra Eutychetem inſtitutum fuit, ante Iuſtiniani tempora fluctuaſſe, ab illo verò confirmatum, & per omnes eccleſias ex edicto receptum fuiſſe, teſtatur Euagrius. Deinde, extat eius ſententia, lege promulgata: qua, quid ille de Eutychiana hæreſi ſentiret, apertiſſime declaratur. Anathematiſamus, inquit, Eutychetem mente captum, & qui cum eo ſentiunt aut ſenſerunt: qui Phantaſiam introducunt, negantque veram natiuitatem & generationem Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti ex Sancta virgine, & Deipara, hoc eſt, ſalutem noſtram. Quis igitur, Iuſtiniano tam aduerſus, vt cum iſta legerit eum ab Eutychetis doctrina, tanquam a ſalutis ſuæ peſte, toto animo abhorruiſſe non confiteatur? Verum emana-

rat

rat hoc eius edictum, viuente adhuc Epiphanio, vrbis Epiſcopo, hoc eſt, ante decimum Imperij eius annum: certè: potuit vero, poſt illud tempus, in hæreſin incidiſſe: nihil recuſo. Quæro igitur, quo tu illum tempore in hæreſin incidiſſe putas? eodem, inquis, quo Anthymum Epiphanio in Eccleſia Conſtantinopolitana Succeſſorem dedit. Hic nimirum a te, narratur ab Anaſtaſio Bibliothecario olim Vaticano, in hanc rem vel temerè credita, vel improbè conficta fabula: Cuius quidem is ſcopus eſt, vt fidem faciat, Iuſtinianum, Anthymum, hæreticum Eutychianum, in ſede illa collocaſſe: deinde ab Agapeto Pontifice Romano grauiſſimè increpitum, & per conuitium, Diocleſianum appellatum, fidem in melius commutaſſe. Verè, vt opinor, poeta Martialis: Vaticana bibis, bibis venenum: iſta vero, quæ hic ex Anaſtaſio commemorantur, quid aliud ſunt, quam, vt eiuſdem Poetæ verſu vtar, In Vaticanis condita miuſta cadis? Erat quidem, vt ais Alemanne, Anthymus, Eutichyana hæreſi imbutus, ſed Orthodoxam præ ſe

fere-

ferebat fidem. Hoc Nicephorus Caliſti, hoc Liberatus, hoc Concilij Conſtantinop. generalis acta, vbique perſonant. Id igitur, cum Agapetus, qui tum forte a Gothorum Rege Legatus aderat, perſenſiſſet, Iuſtiniano rem aperit: Anthymo ipſi communicare renuit: Iuſtinianus vero quid? Cauſam ipſi Agapeto, & alijs Epiſcopis Synodaliter conuocatis cognoſcendam delegat: illi reum inuentum a Sede Conſtantinopolitana deijciunt: Imperator rem ratam habet: audi vero de Imperatoris hac in re ſtudio teſtimonium, ex doctrinali quodam, vt vocatur, in ſynodo generali porrecta deſumptum: Agapetus, inquit, iniuriam Catholicæ fidei, vindicans, Anthymum extra poſuit, de ſacerdotali Sede: fideliſsimo ac pijſsimo Imperatore noſtro Catholicam fidem & diuinorum Canonum autoritatem adiuuante. Extat etiam de eiuſdem Anthymi depoſitione conſtitutio eius Nouella quadrageſima ſecunda: ex qua liquidiſsime apparet, Iuſtinianum non ſolum Anthymo in hæreſi non fauiſſe, verum etiam in eo, ob inſania ſua

reuo-

reuocando, omni verborum animique contentione, laboraſse: Demum verò cum ſe Æthiopem, quod dicitur, lauare cerneret, non ſolum depoſitionis ſententiam confirmabat, verum etiam hominem ipſum procul ab vrbe relegabat. Itaque mera erat illa Bibliothecarij veſtri fabula, ad gloriam Pontifici cum Imperatoris dedecore, conciliandum comparata: Probabilior certè eſt illa Euagrij narratio: Quanquam, quid ego hanc illa probabiliorem eſſe dico? Cum & iſta nulla veri ſimilitudine nitatur, & certiſſimis non verborum, ſed rerum argumentis refutetur. In Eutychianam hæreſin prorupiſſe Iuſtinianum aſſerit Euagrius: quo tempore? illo ipſo, inquit, quo concilium generale quintum Conſtantinopoli celebratum fuit. Reuolue igitur Concilij illius Codicem: ibi Iuſtinianũ, pijſsimũ, Pientiſſimũ, Chriſtianiſſimũ, Orthodoxũ, hoc eſt, verbis ad rectã eius fidẽ oſtendendã exquiſitiſſimis cõpellatũ reperies. Nam ſi a fide in illo Cõcilio defeciſſet, vnde illa Patrum ad Mennã Patriarchã Cõcilij Præſidẽ vociferatio? Seuerum & Petrũ Eutychianos

Ana-

» Anathematiſa: Orthodoxum Impe-
» ratorem habes, Quid times? Vincit
» fides Imperatoris: Orthodoxus reg-
» nat Quid times? Seuerum & Petrum
» Anathematiſa. Quod ſi non planè a fide defeciſſet, ſed tamen in fide dubius hæſitaſſet, vnde illud Mennæ ad Patres de ea tam clarum, tamque certum teſtimonium? Putamus vos fratres non ignorare, voluntatem & zelum pij Imperatoris noſtri, quē habet ad Orthodoxam fidem noſtram. Percurre, Alemanne, omnia Concilij illius geſta, nullam in illis paginam inuenies, quæ Iuſtiniani fidem toto illo tempore rectiſſimam fuiſſe non confirmet. At enim, rem incredibiliorem facit, Quod illo tempore effætis animi corporiſq; viribus eſſet Iuſtinianus: Ita prorſus, Alemanne, & te & Euagrium ſentire video: ſed vide quam appoſitè: Concilium illud viceſimo ſeptimo Iuſtiniani anno finem cepiſſe, ex ipſis eius actis demonſtratur: inde ad Iuſtiniani mortem, duodecim anni numerantur. Quid? an totos duodecim ætatis annos, in tam nefaria hæreſi vixiſſet, & non totum terrarum orbem

rei infamia commouiſſet? deflexit olim ab Orthodoxa fide ad Arianos Conſtantinus Iunior: defecit à Chriſto ad Dæmonas Iulianus: ſi teſtes requiris, non hoc teſtatur Socrates Hiſtoricus, magis quam terrarum orbis. An igitùr de Iuſtiniano ad Eutychianos delapſo, ſiluiſſet? hic tu me, ſcilicet, Euagrium interrogare iubes: ego te, leges, edicta, Iudicia aduerſus Eutychianos ſeueriſſimè a Iuſtiniano conſtituta, Anthymi damnationem, Concilij generalis Quinti acta, rerum euidentiam, totam denique vitæ illius rationem, non interrogare, ſed torquere iubeo; inde, ſi potes, tanti ſceleris confeſſionem, inde infamiæ argumentum, inde ad ſuſpicionem Indicium exprime, & extorque; Ad hunc vſque diem, Hymni a Iuſtiniano compoſiti (neque enim vel a muſica, vel a Poetica, animus ille, tot alioquin negotijs diſtentus, abhorrebat) inter ſacrorum ſolemnia in Græcis eccleſijs decantantur. An vero & hæ hunc honorem hæretico detuliſſent? huc acceditquod inter ſanctos eum apud Græcos olim relatum fuiſſe legimus: Hoc vero te, Alemanne, pungit,

pungit, & hoc tu non rerum veritati, ſed Græcorum leuitati tribuis. Cur tandem? Quia, inquis, in Eccleſiaſticis Romanis tabulis & in ipſis Græcorum Menologijs nullum Iuſtiniani nominis veſtigium apparet. non contendo nunc apparere: mutantur enim ferè cum menſibus Calendarij. Quid autem ſi olim apparuiſſe oſtendero? ſatîn commodè eum ab hæreſis ſuſpicione liberaſſe videor? Bartolus quidem, idſe a viris doctis, & in illo doctrinæ genere exercitatis audiſſe refert: Iohannes vero Faber in ſuo ad Inſtitutiones Iuris ciuilis Proœmio ſe Calendas Auguſti, in Catalogo Sanctorum, Iuſtiniani nomine ſignatas vidiſse aſſerit: idem & Gennadius de ſe affirmat: tantæ quidem vterque exiſtimationis vir, vt in quo ſe teſtes oculatos fuiſſe dicant, meritò illis fides adhiberi debeat. Denique quid a veri opinione tam auerſum, quam quod Iuſtinianus, qui tantum fidei ardorem, tam cæleſtem mentis in deum deuotionem, tantum Orthodoxæ religionis ſtudium, per omne vitæ Curriculum oſtenderit, is in ipſo quaſi calce a fide deſiceret,

ceret, & Chriſti incarnationi, hoc eſt, vt ipſe ſæpe interpretatur, ſaluti ſuæ renunciaret.

Hæc ſunt, præcipua conuitiorum aduerſus Iuſtinianum Capita: quibus ita, per Dei gratiam, iam reſpondi, vt ſatis Procopio, ſatis Alemanno, ſatis etiam cauſæ, ſoli Iuſtiniano parùm feciſſe videar; non enim ille à calumnijs tantummodò vindicandus, verùm etiam præconijs & laudibus tanta virtute, tam diuino ingenio, & tam excelſa Maieſtate dignis, celebrandus erat. Sed præſenti operi modum ſtatuendum eſſe video. Tu modo, Alemanne, id à me habeas velim: primùm, vt ne quid poſthac, vel opere, vel verbo in Deum pecces: Deinde nec in diuinos homines: ſiue illi viui ſint, ſiue mortui: ſtultum eſt enim & impium, defunctorum tumulos, & ſepulchra venerari, memoriam vero & famam, conuitijs & maledictis lædere.

Sit laus Deo.

FINIS.

Ant 131

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google